MICHAELIS ANGELI GRIFFINI CLER. REGUL. CONGREG. S. PAULLI, ... PRO...

Michelangelo Griffini, Ildefonso : da#S. Carlo scolopio

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
20 K
27

Bibliotheca Collegii S.ti Blasii et Caroli

Digitized by Google

MICHAELIS ANGELI GRIFFINI

CLER. REGUL. CONGREG.
S. PAULLI,
In Seminario Bononienſi Sac. Theol. Prof.,
& Lect. Pub.

Pro Patrum eloquentia in Morum Inſtitutione tradenda

ADVERSUS

JO: BARBEYRACIUM

DIATRIBA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BONONIÆ

Ex Typographia Lælii a Vulpe. (1762)
Superiorum auctoritate.

Digitized by Google

Ne quiſquam de me ante ſermonis conſummationem per litterarum exordia exiſtimet judicandum. Iniquum eſt enim, non comperta uſque ad finem ratione dictorum, præjudicatam ſententiam ex initiis, quorum cauſa adhuc ignoretur, afferre: cum non de inchoatis ad cognoſcendum; ſed de abſolutis ad cognitionem ſit judicandum.

S. Hilarius Lib. de Synodis.

Digitized by Google

EMINENTISSIMO, AC REVERENDISSIMO

VINCENTIO MALVETIO,

CARDINALI AMPLISSIMO,

Archiepiſcopo Bononiæ,

S. Q. R. I. Principi

MICHAEL ANGELUS GRIFFINUS CONG. S. PAULLI.

VIrorum Nominatorum narrationem conſervare *ſummæ laudi ducit Eccleſiaſticus* *. *Id, cum per ſe laude dignum ſit, nunc etiam videtur ſummopere neceſſarium. Nam, cum eximia illa Orbis Terrarum lumina, Pa-* *Cap. 39.

 tres

tres Eccleſiæ, omnium celeberrimi poſt hominum memoriam ſemper ſint habiti, & maximarum rerum gloria æternum ſibi nomen pepererint, mirum eſt, quam iis impudenter detrahant, quibuſque eos contumeliis maculare pergant Viri quidam impudentiſſimi, quibus eſſe nihil antiquius videtur, quam ut eoſdem veteri nomine, & celebritate ſpolient, qui omnium fuere nominatiſſimi. Itaque palam eos mordere, cauſas prætexere, quibus doceant, ab ipſorum Magiſterio eſſe recedendum, errorum etiam monſtra confingere, quibus omnis eorumdem Doctrina labefactetur, id generis homines nunquam deſinunt. Quæ calumniandi ratio, uſurpata olim a pauculis, duobus ab hinc ſæculis frequentari a Proteſtantibus multo cæpit audacius. Namque hi, poſtquam a Sanctæ Romanæ Eccleſiæ fide defecerunt, non potuerunt facere, quin iis etiam nuncium remitterent, quorum doctrinam conſtaret, cum illa Eccleſiæ conſentire. Atque inter hos, qui hujuſmodi delectantur contumeliis, ſe ſe potiſſimum

pro-

Digitized by Google

prodit Joannes Barbeyracius, * *Calviniana labe implicitus, qui hæretico ſcelere plane inflammatus, ita conviciandi ſtudio indulſit, ut non aliquando, & cum ſe daret occaſio, ut plerique; ſed præparata opera, collatiſque viribus, maledicere Patribus inſtituerit, libroſque confecerit, ad omnem omnino avertendam ab ipſis venerationem, cum in aliis rebus, tum præcipue in morum inſtitutione tradenda. De qua impudentia, etſi omni execratione digniſſima; non eſt tamen, cur valde miremur. Quid enim ſcribere homo potuit, qui ſe Eccleſiæ adverſum, infeſtumque profiteatur, niſi quod Eccleſiam ipſam inſectetur? Illud eſt dolendum maxime, quod auctor hic ab iis ſummis ornetur laudibus, qui Fidei Catholicæ nomine gloriantur: quod adoleſcentes, nondum graviorum diſciplinarum confirmati doctrina, in ejus ſe lectionem abdant, ſeque beatos prædicent, ſi ad ejus doctrinæ aſſecutionem pervenire poſſe ſperent. Quæ res quanti periculi plena ſit, nemo exequi verbis poteſt. Etenim, ſi auctor amatur, & impenſe*

* *Natus eſt Biterris die* 15 *Martii anni* 1674.

 coli-

Digitized by Google

colitur, ſi doctrina ejus pergrata, perque jucunda eſt, approbari etiam neceſſe eſt, eas contumelias, quas idem in Patres evomuit, quibuſque graviſſimum vulnus inflixit Eccleſiæ. Quamobrem quid ſalutarius, quid utilius eſſe poteſt, quam, ut in ea Patres retineantur nominis exiſtimatione, quam perpetuo, pacificeque poſſederunt? qua contentione opus erit, magnitudinem periculi oſtendere, ſi nulla circumſpectione poſita, ab imbecilliorum manibus ejuſmodi liber teratur? Tu, Princeps Eminentiſſime, tu ipſe pro divina tua ſapientia, quanti interſit ab ejuſmodi libris cavere, palam docuiſti. Cum enim in vigilia quadam perpetua maneas, & a commiſſa tibi Eccleſia nunquam oculos dejicias, nullumque tempus, neque diurnum, neque nocturnum dimittas, quin de noſtra utilitate, & ſalute cogites, cum intelligeres, ſerpere hoc malum, & manare in dies latius, ut ab imperito quoquo libri omnium pernicioſiſſimi, quibus, fato neſcio quo, abundat noſtra hæc ætas, avidiſſime lectitentur, & optimi ponantur; providen-

viden-

Digitized by Google

videntiſſima exhortatione evulgata, intemperans in ejuſmodi libros ſtudium, cupiditatemque fregiſti, & quaſi Hieronymi verbis utens, perinde, ac inter ſcorpiones, & colubros*, legendo ut incederent, conclamaſti.* Et mihi quidem quid eſſe potius debet, quam, ut tale judicium tuum, quoad poſſum, ſuſtineam, incredibilemque tuam vigilantiam, & providentiam adjuvem? Nam Regulares Viri, ut aliis multis, ſic hac lege præcipue obſtringuntur, ut, quibus rebus poſſunt, iis opem ferant, & inſerviant, qui clavum, & gubernacula tenent Eccleſiarum.* Hæc audiant & Monachi omnes, *inquiebat olim, rem hanc tractans diſertiſſima oratione Chryſoſtomus,** qui montium occuparunt cacumina, quique modis omnibus ſe ipſos mundo crucifixerunt; ut pro viribus Eccleſiarum Præfectos adjuvent, & incitent precibus, concordia, caritate, ſcientes, quod, niſi omnibus modis opitulentur iis, qui tot periculis objiciuntur per gratiam Dei, totque negotiorum curas ſuſtinent, quibuſ-

cum-

* Epiſt. 124. ad Avitum.

* Sic ille de libris Origenis loquitur.

* Hom. de S. Philogonio §. 3.

cumque poſſunt rationibus auxilientur, quamquam procul habitantes, præcipuum ipſorum inſtitutum peribit, & tota deſtruetur ſapientia. *Si tantam depoſcebat Vir ille ſanctiſſimus induſtriam, & alacritatem in Epiſcoporum laboribus adjuvandis ab iis ipſis, qui in montium faſtigia abſceſſerant, & procul a turbis civitatum conſederant; qualem demum a me requiret, qui id inſtitutum ſequor, non quo in ſolitariis locis, & in montibus vitam agam, ſed vel in ipſa urbium frequentia, animorum ſalutis cauſa verſari debeam, & hac præſertim conditione, ut Epiſcopis miniſterium, & operam exhibeam meam? A me, inquam, quem ſingulari tuo beneficio potitum, Adoleſcentes, quos in tui Seminarii Ædibus habes, Theologicam facultatem docere voluiſti? An eſt igitur aliquid, quod me magis attingeret, & mea ſtudia excitare magis poſſet, quam, ut labores, ſedulitatemque tuam omni conatu, & induſtria proſequerer? Si quid eſt in me ingenii, an non id totum jure*

quo-

quodam tuo præcipuo, & ſingulari repetis? Itaque illud mihi eſſe faciendum exiſtimavi, ut ex his libris unum, in quo virus teterrimum erroris ineſt, quique omnium periculoſiſſimus videri poterat, refutarem, & tua quaſi voce, & oratione utens, Barbeyracii ipſius Tractatum, contra Moralem Patrum Doctrinam conſcriptum, quoad poſſem, infringerem. Etenim pateat, quod noxium eſt, ut poſſit conteri, cum patuerit, *ut cum Hieronymo loquar* * *Interea vero, Princeps Eminentiſſime, exiguam tibi hujus laboris mei partem exhibeo, in qua Eloquentiam Patrum adverſus eundem defendendam ſuſcepi, Eloquentiam videlicet illam, Chriſtianæ pietatis altricem, & parentem quandam fæcundam ſanctitatis. Quo meo qualicumque erga Te officio ideo anteverti, quod mihi nihil eſſet longius, quam, ut obſequentem, gratumque animum meum tibi declararem. Quod ſi peramanter acceperis, multo acriores ſtimulos adjunges, alacrioremque me ad reliquum rei gerendum facies. Nec dubito, quin*

* *Lib.* 1. *adverſ. Jovin.* §. 3.

id

id futurum ſit. Quod enim facere inſtitui, verius tuum, quam meum eſt. Quod autem tuum eſt, utpote ſummum, & præſtantiſſimum, tibi ſummo, & præſtantiſſimo probari debet.

D. SAL-

Digitized by Google

D. SALVATOR ANDRIANI
Proc. Gen., & Vic. Adm. R. P.

D. PII MANZADOR

Præpoſiti Generalis Cong. Cler. Reg. S. Paulli.

CUm librum, cui Titulus eſt: *Pro Patrum eloquentia in Morum Inſtitutione tradenda adverſus Jo: Barbeyracium Diatriba.* A Patre D. Michaele Angelo Griffini, Congregat. noſtræ Cler. Regul. S. Paulli, Presbytero profeſſo, compoſitum, duo ejuſdem Congreg. noſtræ eruditi Viri, quibus id commiſimus, accurata lectione, & gravi judicio recognoverint, & poſſe in lucem edi probaverint; Nos, ut Typis mandetur, quantum in nobis eſt, facultatem facimus. In quorum fidem, has fieri, ſigilloque noſtro muniri juſſimus.

D. Salvator Andriani Vicarius Adm. R. P. Generalis.

D. Philippus Bonfigli Pro-Cancell.

Digitized by Google

Vidit D. Salvator Berlucchi Clericor. Regul. Sancti Paulli, & in Eccleſia Metropolitana Bononiæ Pœnitent. pro Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino D. Vincentio Card. Malvetio Archiepiſc. Bononiæ, & S. R. I. Principe.

Die 3. Maji 1762.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Vincentius Ronconi Vicarius Generalis Sancti Officii Bononiæ.

PRO-

Digitized by Google

PROŒMIUM

IN QUO

Totum Barbeyracii Inſtitutum exponitur.

I. EX mala radice malæ arbores enaſcuntur, *nec arbor mala bonos fructus facere poteſt*, ut ipſa ait Veritas Chriſtus *. Id cum ſemper eſt factum, tum funeſto, miſeroque eventu confirmatum vidimus in hæreſi calviniana, quæ licet & temporis diuturnitate, & ob varias, quas in dies accepit, formas, & mutationes *, ipſoque demum ſuo pondere ad occaſum ruere videretur; attamen plures ex ipſa quovis tempore, velut ex vitiata propagine arbores malæ, prodiere, qui collabentem ſuſtinerent, tot præliis fuſam, & debilitatam corroborarent, & pene deletam in ſuas ſedes reſtituerent, frigeſcentemque canitie foverent. Hos inter eſt Joannes Barbeyracius, Hiſtoriæ, & Juriſ-

* Matthæi 7.

* Vide Boſſuetum in Hiſtoria de variationibus.

riſ-

riſprudentiæ Lauſannæ Helvetiorum primum, deinde Groningæ Profeſſor, præſtanti vir ingenio, eruditione clarus, nec inelegans Scriptor. Hic in multitudine divitiarum ſuarum gloriatus ultra modum perſequitur Eccleſiam Dei. Nam Pufendorfii opus cum e latino in gallicum ſermonem vertiſſet, utilem ſe præſtiturum operam putavit litteratis viris, & Juris ſtudioſis, ſi huic præfationem apponeret, in qua fuſe de morali philoſophia diſſereret. At more Hæreticorum vino aquam miſcuit, ad inſtar eorum, de quibus loquitur Iſaias*; qua re Hæreticos notari, teſtis eſt S. Hieronymus*. Nimirum lenociniis verborum adjunxit hæreticam pravitatem, floſculis eruditionis ſpinas aculeatas inſeruit, ut minus caute legentes, dum illorum ſuavitate mulcentur, harum aſperitate acerbiſſime cruentarentur. Non enim exiſtimavit, alia ratione ſibi, Pufendorfio, aliiſque ſimilibus fidem conciliare poſſe, niſi omnem Patribus exiſtimationem, auctoritatemque detraheret, eaque veneratione, & cultu ſolveret religioſos animos, quo jam diu more Majorum obſtringuntur. Itaque in hoc ad Pufendorfium proœmio ab origine ultima Juris naturalis principia repetens, poſtquam ejus facultatis præſtantiam, utilitatemque celebravit, quaſdam

* *Cap. 1.*

* *In Iſ. lib. 1 cap. 1, & in lib. contra Vigilantium.*

ſibi

Digitized by Google

ſibi objectiones proponit, quæ eam impetere, & labefactare poſſent. Deinde rationes affert nonnullas, cur morum diſciplina parum exculta ſit, & a pleriſque deſpecta. Tum eorum oſcitantiam vellicat, ad quos cum de ea optime meritos eſſe pertinuiſſet, eamdem vel ignorarunt penitus, vel turpibus erroribus obfuſcarunt, aut in tenebras denſiſſimas conjecerunt. Nam gentiles primum Sacerdotes ſummo ſtudio, ut eam Populo occulerent, fictiſque commentis inficerent, curarunt. Nec meliorem nacta eſt ſortem apud Judæos, qui, etſi aliquando per Prophetas edocti, ejus lucem conſpexiſſent; non multo tamen poſt a ſervitute Babylonica, hunc quaſi ſolem nitidiſſimum eorum Doctores, legumque Interpretes obſcurarunt. Ita exteriori cultu, cæremoniis, & ſuperſtitioſis ritibus Plebem illigarunt, ut ei ne ſcintillam quidem reliquerint hujus præſtantiſſimæ facultatis. Quid? quod vel in ipſa Chriſtianorum Eccleſia firmam, & certam ſedem habere non potuit, & cum ſpes eſſe videretur, fore, ut effloreſceret in dies magis, horridior eſt facta. Nam etſi Chriſti ætate, & Apoſtolorum (pergit Barbeyracius), radices egiſſet ſuas, jamque adoleſcere cæpiſſet; repentino tamen, quaſi imbre, ſubito obriguit, nec pervenire ad maturita-

tem potuit. Ut enim (inquit jam blaſphemus factus, & contumelioſus) Doctores Eccleſiæ cœperunt ſe ſe ſcribendo exercere, allegoriis, & inani, fucatæque eloquentiæ indulgentes; falſa etiam, ethnicorum Philoſophorum dogmata conſectantes; præſertim vero omni poſthabita recte interpretandarum ſcripturarum ratione, ambitione etiam, & turbulento animo abducti, tantum abeſt, ut Populum morum ſcientia erudirent, ut eumdem potius turbis, diſſidiis, partium ſtudio, ſcandalo afficerent, & perturbarent.

II. Jam autem (progreditur ille) vera eſſe, quæ diximus, quid moramur credere? Certe nobis plura ſuppetunt exempla, quibus edocemur, Patres hac in diſciplina, hoſpites pene, & peregrinos fuiſſe, nec levibus erroribus in eamdem ſæpe peccaſſe. Quamobrem Barbeyracius ab Athenagora exorſus, Juſtinum Martyrem, Tertullianum, Origenem, Cyprianum, Lactantium, Baſilium Magnum, Gregorium Nazianzenum, Ambroſium, Chryſoſtomum, Hieronymum, Auguſtinum, alioſque inſectatur, & in plures errores, corruptiſſimaſque opiniones incidiſſe conatur docere morum integritati contrarias, iiſque allatis, quaſi trophæum ab hoſtibus eripuiſſet, ſic ſe jactat, effert, & gloriatur. Id cum ita ſit (in-

Digitized by Google

(inquit ſenſu, ſi non verbis), quid reliquum eſt, niſi, ut ſex priorum ſæculorum Patres ineptos moralis ſcientiæ magiſtros, imo vel everſores conſtituamus? nempe nihil in iis virile, nihil dialecticum, nil ſolidum, atque diſtrictum; ſed totum flaccidum, molle, verborum pompa inflatum, & exquiſitis hinc inde coloribus conſperſum, imo ſæpe, quod deterius eſt, errorum labe maculatum. Quid igitur tanto ſtudio catholici proſequuntur Patres? Quid tanta caritate complectuntur? Quid tot efferunt laudibus? In eos autem, qui veritatis ſtudioſi, & nullo partium ſtudio abrepti a Patrum obſequio recedunt, quid eſt, cur tantopere ſe ſe effundant, velut in perduelles, & communis ſalutis, & fidei proditores? nimirum hi ſuperſtitioſi vindices Patrum, dum inveterato in eos ſtudio parent, unumquemque accipiunt verbis contumelioſis, qui loquatur liberius, & ut, quas putant, mortuorum injurias ulciſcantur, cum viventibus hominibus confligunt, & caritatis chriſtianæ leges violant. Et in hoc ipſo quidem veteres, quos ſuſpiciunt, imitantur Patres: nam, ut illi ſæpe adverſarios contumeliis laceſſunt, & obruunt; ſic hi, quos veritate non poſſunt, conviciis opprimunt, & impudenter lacerant. Quod non eveniret, ſi va-

cuo privata affectione animo Patres lectitarentur. Quare evellatur ex animo tandem propenſio hæc tantopere imbibita, & amore veritatis extinguatur. Quod ſi ingenioſum, ſummum, & præſtans aliquod ſuſpicere amamus, noſtrorum temporum Scriptores longe nobiliſſimos intueamur; cum plures eorum ita Patribus etiam celebrioribus antecellant, ut nec ingenio, nec ſcribendi ratione, nec vi, nec robore hi comparari cum iis poſſint. Hæc cum ita ſint (inquit) eo tandem deveniendum eſt, ut, cum viri Eccleſiaſtici primores, quales fuerunt, qui primis ſæculis a peracta mundi ſalute floruerunt, ineptos ſe præbuerint moralis diſciplinæ magiſtros, nec inde alii meliores emerſerint ſæculis poſterioribus, cum illi omnium optimi habeantur, hoc unum dicamus ſupereſſe, ut morum inſtituendorum rationem a Viris eccleſiaſticis non requiramus. Ab iis moralis ſcientia nec illuſtrari potuit, nec defendi: eos vel infenſos habuit, in quibus præſidium locaverat ſuum. Quare diu afflicta, & quaſſata ad Laicos tandem ſe ſe recepit viros Proteſtantes, qui ævo ſexto decimo veterem ſuperſtitionem exterminarunt, novamque Eccleſiæ formam induxere: apud hos benigne accepta eſt, totque habuit Illuſtratores, ut non jam ſquallorem,

rem, & ſitum depoſuiſſe, ſed ſplendorem etiam induiſſe videatur. *La morale* (en ipſa ejus verba) *ainſi négligée & preſque bannie du monde par les Miniſtres Publics de la Religion, s' eſt réfugiée chez les Laïques, ou les ſimples Gens de Lettres, qui lui ont fait un beaucoup meilleur accueil.* Ab iis incredibile eſt, quantum aucta, ornata, & locupletata fuerit: In horum libris non inanis eloquentiæ pompa, non allegoriarum intemperantia, non myſticarum interpretationum abuſus deprehenditur, ſed quidam inſidet venuſtatis, non fuco illitus, ſed velut ſanguine diffuſus color: Robuſtis rationibus quidquid afferunt, concludunt: omnia recte definiunt, partiuntur, explicant. Etſi enim initio per eos ipſos, quibus nova Eccleſiæ ſpecies effulſit (inquit) male haberi cœperit (Calvinus quippe, & Beza, Anteſignani illi hæreticæ pravitatis librum ediderunt, quo hæreticos jure gladii coerceri poſſe evincunt, quo nihil horribilius Barbeyracio videtur); tamen progreſſu temporis, firmata jam nova Eccleſiæ ſobole, ſcriptores bene multi ad hanc diſciplinam expoliendam animum appulerunt, inter quos eminet Grotius, & tanta eſt huic dignitatis acceſſio facta, ut nihil amplius deſiderandum ſit. In hoc totus cardo vertitur Barbeyracii accuſationum; cum-

que de his longiſſime diſputaſſet, ad viam, ex qua declinaverat, revertitur, latiſſimeque perſequitur antiquiorum Philoſophorum ſyſtemata in morali hac ſcientia condenda, uſque dum ad recentiſſimos quoſque perveniat, quorum laudes ut extolleret, in iis Patrum extenuandis digreſſus fuerat. Et vere digreſſus eſt, & aberravit: *Erravit ab utero: locutus eſt falſa.** Fieri enim nequit, ut, qui uterum, a quo genitus eſt, ideſt ſanctam Eccleſiam deſeruit, bene de veritate mereatur. Vel quæ major aberratio, & declinatio a veritate eſſe poteſt, quam cum ii damnantur, per quos veritas ipſa ſplendore fulget ſempiterno? Itaque per hanc interpoſitam Patrum calumniam, quaſi modico fermento tota hæc ejus maſſa corrumpitur: totus hic tractatus, velut opaco corpore objecto, obumbratur, & quidquid eruditionis adſperſum eſt, hac labe perditur, & vitiatur. Quis autem non miretur incredibilem hominis impudentiam? Si enim Sancti omnes, Gregorio Magno docente*, quaſi ſtellæ quædam ſplendidiſſimæ noctem vitæ præſentis illuminant, quantæ erit temeritatis in eos tanta acerbitate bacchari, qui non ſolum rerum ſancte, religioſeque geſtarum gloria floruerunt; ſed etiam ſummæ doctrinæ laude in hoc, quaſi Eccleſiæ cœlo,

* *Pſal. 51.*

* *Præf. in Job cap. 6.* Ecce quam fulgentes ſtellas in Cœlo cernimus, ut inoffenſo pede operis iter noſtræ noctis ambulemus.

lo, explenduerunt, quique, cum non ſolum fecerint, ſed & docuerint, in regno Cœlorum, nempe in Eccleſia, tamquam Majores * haberi debent? Neque illud eſt hic prætermittendum. Cum tot in Patres contumelias conjiciat Barbeyracius, non eorum tamen libros valde triviſſe viſus eſt; cum & in eos tam iniquo judicio ſit, & aliorum præcipue teſtimonio nitatur, dum Patrum obſtrepit laudibus. Itaque, quæ Laplacettus, Bælius, Joannes Clericus, aliique de Patribus paſſim effutiere, tamquam gemmas pretioſas congregat, atque ita aliorum auctoritate, & labore contentus, omnium ore fidei altoribus maledicit.

* Matth. 5.

III. Atque hæc mihi res non parum eſſe videtur periculoſa, neque chriſtianis moribus parum offutura. Hac enim opinione ſemel imbuantur animi, Patres in morali hac ſcientia, ne dum principatum non obtinere, ſed tamquam ejuſdem everſores profligandos, & exturbandos eſſe: tunc ſi quis continere in officio, & ad ſanitatem perducere quempiam velit, auctoritatemque Ambroſii, Hieronymi, Auguſtini, Chryſoſtomi adferat, hæc tam firma Eccleſiæ propugnacula cum audierit, nihil omnino commovebitur, in eodem luto hæſitabit: forte etiam homines ſimplicitatis arguet, & ignorantiæ:

tiæ : auctoritatem certe deſpiciet, aliiſque irridendam propinabit. Mutum erit deinde forum eccleſiaſticum, elinguis Eccleſia, venerandaque conticeſcet ſanctorum Canonum auctoritas, quæ omnia a Patribus ſubſidium, & robur accipiunt. Ipſa demum fides e ſuis antiquis ſedibus pulſa, amandataque nutabit, & in occaſu tot, tantorumque luminum, ipſa quoque Eccleſia occidere mihi videbitur. Quam ob rem jactet quidem ſe ſe Barbeyracius, ſtudio veritatis incendi, zeloque Dei duci, & communi utilitati ſe velle proſpicere, dum a Patrum reverentia abalienare animos molitur: nos hac in re nullam ei fidem tribuimus; ſed antiquum hæreſis calvinianæ crimen putamus. Blanditur enim quiſque ſibi, ut perbelle Solon: *

* *Sent. elegiac.*

Ἄλλος δειλὸς ἐὼν, ἀγαθὸς δοκεῖ ἔμμεναι ἀνὴρ
Καὶ καλὸς, μορφὴν ἒ χαρίεσσαν ἔχων:

ideſt

Alius, cum timidus ſit, fortis ſibi eſſe videtur,
Et homo deformis ſibi eſſe pulcher videtur.

Imitatur quippe amicos Job, qui dum ei conſulere videbantur, eumdem lædebant. Quo exemplo hæreticorum fraudem indicari, auctor eſt idem S. Gregorius Magnus *, *qui ſub ſpecie conſulendi agunt negotium ſeducendi . . . . quia videlicet omnes Hæretici Deum, dum defendere nituntur, offen-*

* *Ibid. cap. 6.*

offendunt. Atque hoc ad Juvenes præcipue dictum volumus, qui Juri naturali operam dant, quippe Barbeyracium multis efferre laudibus ſolent; ut etiamſi eis legendi libri hujus facultas ſit facta, caveant diligenter, ne, dum eruditionis ſuavitate afficiuntur, hæreticum quid ebibant, & mortiferum; & eo majori diligentia id faciant, ſi theologicam facultatem minime attigerint:

Sæpe venenatus latuit ſub floribus anguis. * *Card. de Polignac. Anti Luc. Lib. 2.*

Melius ſane eſſet, alios & plenos, & doctos ejuſdem facultatis libros, in quibus nulla offendendi occaſio eſſet, evolvere, quippe illud Theognidis verum eſt: * *Sentent. elegiac.*

Ε'σθλῶν μὲν χὰρ ἄπ'έσθλα μαθήσεαι. ἢν δὲ κακοῖσι
Συμμιχθῇσ, ἀπολεῖς καὶ τὸν ἐόντα νόον:

ideſt:

A bonis enim viris bona diſces; ſi vero malis
Commiſcearis, perdes & quam habebas mentem;

At ſi neceſſariis, & honeſtis de cauſis illam lectionem amplecteris, ea tibi cautio eſt adhibenda, quam in Origenis lectione præcipiebat olim S. Hieronymus: * *Ut bona eligamus, vitemuſque contraria, juxta Apoſtolum dicentem**: *Omnia probate, quod bonum eſt, tenete*. Niſi etiam placeat illud adjicere, quod Demonico ſuo conſulebat Iſocrates, ſuaviſſimus Græcorum Orator: * ὥσπερ γὰρ τὴν μέλιτταν ὁρῶμεν ἐφ ἅπαντα

* *Ep iſt. 62 ad Tranquillinum.*
* *I. ad Theſſal. 5.*
* *Orat. ad Demon.*

στα μὲν τὰ βλάστηματα καθιζάνουσαν, ἀφ' ἑκάστου δὲ τὰ χρήσιμα λαμβάνουσαν, οὕτω χρὴ καὶ τοὺς παιδείας ὀρεγομένους μηδενὸς μὲν ἀπείρως ἔχειν: πανταχόθεν δὲ τὰ χρήσιμα συλλέγειν: Ideſt, *ut apes videmus omnibus quidem floſculis inſidere; de ſingulis autem utilia capere; ſic eruditionis comparandæ ſtudioſos, nihil inexploratum decet relinquere; ſed undequaque tamen utilia colligere*. Ita enim imitamur evangelicum Patremfamilias, *qui de theſauro ſuo*
* Matthæi 13. *profert nova, & vetera*.* Nova enim, ideſt optima a Sanctis mutuamur; ab Ethnicis vero vetera, ſcilicet in ethnica quaſi vetuſtate producta, licet non omnino inepta, ſumimus. Sed longius forte, quam par erat, divertimus.

IV. Ad Inſtitutum pergamus. Ad ejuſmodi Barbeyracii frangendam audaciam operam navavit ſuam Remigius Ceillierius, Ordinis S. Benedicti, omni genere laudis Vir excellens. Hic Patrum apologiam gallico ſermone edidit, in qua Patres omnes defendit, quos palam ille momorderat. Nihil tamen melior effectus, imo majorem actus in rabiem, prolixum opus, integrumque librum contexuit, *Traité de la Morale des Peres de l'Egliſe* inſcriptum, in quo multo fuſius ea perſequitur, quæ antea in Patres evomuerat, atque adeo bellum, quod ſopitum videri poterat, reſtauravit. Nos autem

fero-

Digitized by Google

ferocientem adhuc in Eccleſiam hoſtem non patientes, tractatum hunc quatere, & oppugnare (ſi Deus dederit) conſtituimus, modo tantum otii nacti fuerimus in tot quotidianis, quibus implicamur, occupationibus, ut rem hanc, non levis quidem momenti, conficiamus: jamque ſubſecivis horis in hoc Scripturæ genus curas, cogitationeſque conferimus. Illud autem in præſentia intendimus, ut quaſi prælium ineamus, propius efferre pedem, & cauſæ jugulum petere in aliud tempus rejicientes. Maluimus tamen hic totam Barbeyracii cauſam exponere, ut intelligi poſſit, quam gravibus rationibus ad eam acceſſerimus. Quid enim potius eſſe viro Theologo debet, quam ut illi magni Viri, & Nobiles, qui nervi, & artus Eccleſiæ dici poſſunt, in eo gradu, quo ſemper fuerunt, perpetuo ſint? Hi ſunt illi ipſi, de quibus in Canticis dicitur *: *En lectulum Salomonis ſexaginta Fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſrael: omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi: uniuſcujuſque enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos.* Scriptis enim ſuis, ceu gladiis thalamum Salomonis, nempe Eccleſiam, in qua Chriſtus requieſcit, cuſtodierunt: hoſtes, nempe hæreticos fuderunt, & e mundo evellere conati ſunt. Hi traditionum apoſtolicarum depo-

* Cap. 3.

depoſitum a Majoribus acceptum litteris prodiderunt, & poſteris commendarunt.

V. Sin autem quis requirit, quæ cauſa nos impulerit, ut in hoc certaminis exordio eloquentiam Patrum defendendam ſuſciperemus, nihil eſt, quod expedire tam facile poſſimus. Nam & Ceillierius hanc partem, quod ex ejus apologia noverim, prætermiſit: quod etſi non præteriiſſet; nos tamen noſtri inſtituti non pœniteret. Etenim in reſponſione ad Ceillierium agitatus contentione ipſa Barbeyracius, exacerbatuſque, multo plus in eloquentiæ Patrum vituperatione exarſit. Deinde cum in rem eamdem complurium ſtudia commoventur, longe plus veritas elicitur, pluſque mendacium collectis viribus atteritur, & communi quaſi impetu facto profligatur. Cæterum illud etiam in cauſa fuit, cur ad hanc potiſſimum partem diſputatio noſtra dilaberetur, quod cum ad perpoliendos mores eloquentiam Patres ſæpe adſciverint, ſemel ac eloquentia hujuſmodi eodem, quo ſemper fuit, faſtigio ſteterit, magna ex parte moralis Patrum doctrina vindicata a nobis, perorataque eorum cauſa erit. Nemo autem a nobis expectet, ut, pro eloquentia Patrum dimicantes, eloquenter ipſi rem con-

Digitized by Google

conficiamus: Nam etſi eloquentiam valde ſuſpicimus; ab ea tamen excolenda, alio diſtracti, quam longiſſime abſumus. Elegantiam autem in verborum delectu poſitam non aliquis jure repetat. Nam cum multos jam annos ſcientias profiteamur, ita Scholaſticorum ſitum combibimus, ut, nec, volentibus nobis, ab eo liceat recedere. Sed propoſitum peragamus.

Digitized by Google

PRO PATRUM ELOQUENTIA
In morali doctrina tradenda
adverſus

JO: BARBEYRACIUM
DIATRIBA.

CAP. I.

Patrum eloquentiam vituperat Barbeyracius, iiſdemque impudenter maledicit.

COmmuniter itaque hoc Patribus vitio dat Barbeyracius, eloquentiæ nempe plus æquo indulſiſſe; dumque morales conciones haberent, eaſdem ſic inanibus pigmentis, & fuco obduxiſſe, ut veritas ex illis inextricabilibus verborum, quaſi erroribus non potuerit, erumpere. * *Les ſermons*, ait, *qu' ils faiſoient quelque fois ſur ces ſortes de matieres ètoient ſi fort remplis des vains ornemens d' une fauſſe Rèthorique, que la verité s'y trouvoit comme étouffée ſous un tas de figures, & de pompeuſes déclamations*. Hanc ipſam declamatoriam laudem ſibi Hieronymum arrogaſſe, infra docet: *Il ſe vante*, inquit, *lui-même, de faire le Rhêteur, et le déclamateur*: *Rethoricati ſumus, & in mo-*

* Preface pag. 47.

rem

rem Declamatorum paullulum luſimus *. In hoc ipſo aſſerendo obfirmavit ſe ſe Barbeyracius: nam Ceillierio reſpondens, præfationem operi texens, aliorum patrocinium imploravit, & præſertim Jo: Franciſci Buddei, viri eruditiſſimi, qui hoc etiam nomine Patres inſimulat, * etſi verbis non ita contumelioſis, quemadmodum Barbeyracius, quo neminem vidi in Patres impudentiorem. Denique allatis ex Buddeo quorumdam aliorum teſtimoniis ſic concludit *: *L' inclination, & l' attachement à une fauſſe eloquence eſt preſque infailliblement la marque d' un tour d' eſprit rhétoricien, c' eſt-a-dire, ſuperficiel, & peu juſte*. Sed hoc de Patrum eloquentia judicium a Dallæo primum accepiſſe mihi videtur, inter Proteſtantes celebri, & eruditione multiplici ornato viro, qui data opera * oſtendere conatur, *facile non eſſe Patrum ſcripta intelligere propter rerum explicandarum variis Rhetoricæ, & Dialecticæ artificiis obſcuratam, & impeditam rationem*. Dallæo enim ſemper ſe addictiſſimum præfert Barbeyracius, ejuſque auctoritatem permultum facit. Quin imo, ſi recte intelligo, totum illud ratiocinium, quod ad infamandos in morali facultate Patres contexuit, ab eodem mutuatus videtur. Quippe eodem pene utitur artificio ad detrahendum in

* *Libr. adverſ. Helvid.*

* *Iſagog. cap. 3. §. 4.*

* *In Reſp. ad Ceill. Præfat.*

* *Lib. 1. de uſu Patrum cap. 5.*

morum diſciplina Patrum magiſterium, quod duobus integris libris adhibuit Dallæus, ut earum rerum frangeret auctoritatem, quarum cauſa Catholicos inter, & Proteſtantes nullum eſt religionis commercium, & vinculum. Atque hoc ſolum Dallæum inter & Barbeyracium intereſſe mihi videtur, quod ille Patrum lectioni operam navaſſe ſuam; hujus autem labor in aliorum præcipue bibliothecis, & collectionibus evolvendis ſe ſe triviſſe videatur: deinde quod ille, licet Sanctæ Romanæ Eccleſiæ iratus, & infenſus; temperatiori tamen utatur in Patres oratione, quippe eos, tanquam zelo Dei actos, ſanctitate vitæ, & religione ſpectatiſſimos, eruditione, & ut ingenio longe clariſſimos ſummis effert laudibus *: & aliquos eorumdem, ut ipſe putabat, errores percenſere adgreſſus, inquit: *Ægre quidem, & quod ait Poeta* ἀέκοντι Θύμῳ *hanc diſputationis partem aggredior: Grave enim eſt, & a pudore noſtro alienum, hominum præſertim ſanctorum, & merito venerabilium nævos, ac labes ſpectare, ac oſtentare*. Hic vero contra ſanctimoniam inſimulat, contemnit ingenium, averſatur doctrinam, eruditionem negligit, & audacter dicit, *Que le plus célébres Docteurs de l' Egliſe des ſix prémiers ſiécles ſont de mauvais Maîtres, & de pauvres Gui-*

* Lib. 2. cap. 4.

des

des en matiére de morale. Imo eo uſque progreſſus eſt, ut Ceillierio reſpondens per ſummam impudentiam dixerit, ſe tanti facere Hugonem Grotium, ut, non ſolum inter principes ſcriptores ſit collocandus; ſed plus ingenii vi, & lumine, & eruditione excelluerit, quam omnes ſimul Patres; ſi quando vero in errorem ſit lapſus, id eſſe factum, quod Patrum veſtigiis ſcrupuloſius inhæſerit; Inquit enim: * *J'ai loué, & je louë encore Grotius, comme un des plus grands Hommes, qui aient jamais paru, & qui lui ſeul a eu plus de lumiéres, plus de jugement, & plus de érudition, que tous les Péres enſemble..... Je ne l'ai pas épargné ſur la trop haute opinion qu'il avoit des Peres. Et j'oſe dire, que c'eſt la ſource des erreurs les plus conſiderables, aux quelles il s'eſt laiſsé entraîner*. Quo quid non dicam perfidioſius, ſed dementius eſſe unquam poteſt? Videlicet præjudicatis opinionibus, & partium ſtudio abripiuntur Catholici (hoc enim nomine ſæpe in nos oblatrat): ipſe vero nulla turbati animi vertigine laborat. At Patrum eloquentiam ad vindicandum denique aggrediamur, id, quod hic tractandum propoſuimus.

* *Chapit. 1. §. 10.*

CAP. II.

Quid in eloquentia Patrum intendamus defendere.

ILlud autem hic moneo, me non omnem omnino partem eloquentiæ Patrum defendere, neceſſàriamque, vel utilem prædicare: ſi quando in modo exceſſerint (quod tamen nonniſi rariſſime peccaſſe dicendum eſt) non equidem laudabo: ſi ſuperfluos floſculos, & inanium verborum pigmenta conſectati aliquando fuerint, vel quid pueriliter, & inepte dixerint, (licet in hoc vix aliquid invenias) etſi non adprobem, non inde tamen offendar ego: nihil enim difficilius, quam laxatas eloquentiæ habenas ſubito cohibere, & reſtringere, & orationem libere expatiari ſolitam ad certos numeros, & definitos limites concludere; nec facile conſequi poſſumus, ut, dum plebeculæ rudis intelligentiam quærimus, nihil non excidat, quod imbecillum, & tenue non ſit, quodque rerum dignitati, & majeſtati non reſpondeat; imo in tanta Patrum dicendi frequentia, & in tanta ſermonum abundantia, & copia id ne fuit quidem requirendum. Attamen id ego contendo, quidquid Barbeyracius ob-

ſtre-

Digitized by Google

ſtrepat, oratorios illos floſculos, declamationes illas robuſtas, concitatas illas figuras, & illam troporum copiam, & phaleratas illas periodos, orationis demum illam venuſtatem, & munditiam, quam Patres in ſermonibus, homiliis, & concionibus, quas ad mores informandos confecerunt, nedum non eſſe improbandam, ſed utilem fuiſſe, & neceſſariam, & ſacrarum litterarum exemplis & monitis conſentaneam; nec inde vim veritatis, vel minimum debilitari, & extingui, ſed potius luce perfundi, & corroborari.

CAPUT III.

Eloquentia apta eſt ſuavitate ſua ad mores formandos.

PRimo enim ea eſt animorum noſtrorum natura, ut rerum pulcherrimarum amore trahantur, & eſt mira quædam vis in ſuavibus rebus, ut, dum ad animos affluunt, & illabuntur, ſic eoſdem leniant, ut quidvis earum amore facile complectantur, etſi eis antea amarum, & peracerbum videretur. *Aſſentior Platoni*, ait Tullius, * *nihil tam facile in animos teneros, atque molles influere, quam varios canendi ſonos, quorum, dici vix poteſt,*

* *Lib. 2. de leg. cap. 15.*

quanta ſit vis in utramque partem; namque, & incitat languentes, & languefacit excitatos, & tum remittit animos, tum contrahit, Civitatumque hoc multarum in Græcia interfuit, antiquum vocum ſervare modum, quarum mores lapſi ad mollitiem pariter ſunt immutati cum cantibus. Hoc etiam muſicæ dulcedini acceptum refertur, quod antiquæ gentes immanſuetæ, & feræ ejus ſuavitate demitigatæ ſunt. Eſt autem quædam muſicam inter, & Eloquentiam affinitas, ut idem Tullius ſæpe obſervavit *: Ut illa numeris adſtringitur, & aures mulcet; ita hæc quoque verborum numero, & vocum modo delectatione vincit aurium ſatietatem. Multum igitur ad mores immutandos numeroſa, & circumſcripta oratio valere debet. Præterea primis Eccleſiæ ſæculis multa adhuc erant ethnicæ ſuperſtitionis veſtigia, plures qui eadem adhuc implicabantur: Hæretici quoque, ut fidei dogmata labefactare; ita, & moribus bellum intentare, & præcipue Manichæi: chriſtianæ diſciplinæ ſeveritas nondum invaluerat: libido nondum omnino oppreſſa, iterum pullulare, partim hominum perfidia, partim ob inveteratam conſuetudinem: evangelica humilitas adhuc multis deſpectui erat: inſana auri cupiditas multos ſollicitabat: pubeſcebat demum morum ſanctitas, ſed vi-

* *Lib. 3. de Orat. cap. 44.*

virilem firmitatem nondum acceperat. Ineſt autem quædam in virtute auſteritas, quam natura hominum proclivis in vitia pati facile non poteſt: *Nam quia virtutibus amaritudo permixta eſt*, inquit Lactantius, * *vitia vero voluptate condita ſunt, illa offenſi, hac deliniti feruntur in præceps, & bonorum ſpecie falſi mala pro bonis amplectuntur*. Qua igitur ratione ad malum abducebantur, hac eadem ad bonam frugem erant perducendi. ſi voluptas erat exitio, eadem debuit ſalutem afferre. Quod ſi Lucretio * licuit dicere:

* *Proem. Div. Inſtit.*

* *Lib. 4.*

Nam, veluti pueris abſinthia tetra medentes
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Aſpirant Mellis dulci, flavoque liquore,
Ut puerorum ætas improvida ludificetur
Labrorum tenus, interea perpotet amarum
Abſinthi laticem, deceptaque non capiatur,
Sed potius tali a tactu recreata valeſcat;

Cur non debuerunt Patres in plebe erudienda mellita uti oratione, ut verborum dulcedine delibuta, quæ amara putabat, facile deguſtaret? Serpit enim, & infert ſe ſe in animum voluptas quædam mira, dum dulcis verborum concentus inſuſurrat auribus, & Dei gratia excitatus, delinitur, manſueſcit, & novo quodam ſapore conſperſus ad virtutem inclinatur. *Salubri ſuavitate, vel ſuavi ſalubritate, quid*

Digitized by Google

melius? Inquit Auguſtinus *: *Quanto enim magis illic appetitur ſuavitas, tanto facilius ſalubritas prodeſt.* Quamobrem eloquentiæ ornamentis, quaſi μυροθηκίῳ quoddam fragrantiſſimo omnis vitiorum ſitus debuit amandari, coerceri libido, reſtingui rerum terrenarum cupiditas. *Licet enim*, ait egregie Lactantius *, *Poſſit cauſa veritatis ſine eloquentia defendi, ut eſt a multis ſæpe defenſa; tamen claritate, ac nitore illuſtranda, & quodammodo diſſerenda eſt, ut potentius in animos influat, & vi ſua inſtructa, & luce orationis ornata.* Hac eloquentiæ dulcedine illectus, quam eximiam in Ambroſio ſuſpiciebat, ad ſanitatem venit S. Auguſtinus, ut ipſemet narrat *. Accedit, tantam fuiſſe, & eſſe quorundam teneritatem, & faſtidium, ut omne, quod non eſſet ſumme ornatum, & elegans, audire reſpuerent, vel inculte dicentem deſpicerent. Horum autem mollities, etſi non omnino eſſet obſecundanda; non debuit tamen prorſus negligi, ne ita abalienati a verbo Dei audiendo arcerentur, tamque ſalutari remedio deſtituerentur: quippe caritas ſuo quemque, ut dicitur, hamo, vel eſca piſcari ſolet. Hanc rem perbelle pro more tractat Chryſoſtomus *, & quantum in dicendo negotii ſacris oratoribus exhiberetur, oſtendit, inquiens: *Non enim*

ad

* *Lib. 4. de doctr. Chriſt. cap. 8.*

* *Proœm. Div. Inſt.*

* *Lib. 5. Confeſſ. cap. 13.*

* *Lib. 5. de Sacerd. cap. 1.*

ad utilitatem, ſed ad voluptatem plurimi audire ſolent, quemadmodum qui de Tragœdiis, vel de citharœdis judicaturi ſedent. Atque adeo dicendi vis illa, quam nuper explodebamus, ita deſiderabilem nunc ſe præbet, ut ne in ſophiſtis quidem cum mutuo altercari coguntur, tanta requiratur. Etſi enim inanis acclamatio captanda non ſit; tamen, & auditoribus mos eſt gerendus, ita ut in optimo oratore utrumque requiratur, & laudum contemptus, & vis dicendi: *Si enim*, ſubdit ille, *alterum abſit, aliud ab altero disjunctum inutile efficitur. Etenim ſi laudes aſpernans non proferat doctrinam*, τὴν ἐν χάριτι, καὶ ἅλατι ἠρτυμένην *gratia, & ſale conditam, deſpicabilis apud multos evadit, nihil lucri ex illa animi magnitudine referens... Is itaque, qui optimus populi Ductor futurus ſit, utrumque fortiter teneat, oportet, ut ne alterum altero evertatur*. Tenenda igitur fuit a Patribus, & pulſanda oratoriæ, & declamatoriæ artis teſtudo, ut delicatorum aures mulcerent; atque adeo facilius in animos irreperent. *Quare*, merito Auguſtinus ait *, *propter eos, quibus faſtidientibus non placet veritas, ſi alio quocunque modo, niſi eo modo dicatur, ut placeat & ſermo dicentis, datus eſt in eloquentia non parvus etiam delectationi locus*. Neque vero quis miretur, nos pro Patrum eloquentia vindicanda horum ipſo-

* *Lib*. 4. *de doctr. Chriſt. c.* 13.

ipſorum uti teſtimoniis, quippe in his, non tam auctoritatem, quam rationes eorumdem attendimus.

CAPUT IV.

Patres neceſſitate compulſi eloquentiam uſurparunt.

PRæterea ea etiam de cauſa Patres in dicendo exacuere debuerunt induſtriam, quod cum Hæreticis ſæpe velitabantur, quibus ornata, nitens, verboſa, turgida, & floſculis interſperſa oratio placebat, eaque ad fidei dogmata evertenda, moreſque depravandos abutebantur; aliquando vero cum Ethnicis quoque diſputare inſtituebant, quibus affluentia verborum, & quædam fœcundiſſima profuſio erat jucunda, ac quaſi foliorum quorumdam viriditate orationem totam obumbrabant, ut ſæpe nihil in eorum ſcriptis aliud eſſet, præter ineptam quamdam redundantiam. Celſus, Porphyrius, & Julianus, teſte Sancto Hieronymo *, putabant Eccleſiam nullos Philoſophos, nullos eloquentes habuiſſe Doctores, fidemque chriſtianam ruſticæ ſimplicitatis arguebant. Nihil ergo erat ad Hæreticos, Gentileſque frangendos accommodatius, quam orationem afferre, ne

* *Prolog. de Vir. Illuſtr.*

ne dum validis rationibus robuſtam; ſed verborum quoque pampinis redundantem, crebriſque elegantiarum luminibus frequentatam. Ita enim fieri poterat, ut ſplendida oratione devincti, facilius, & rationes admitterent, & Eccleſiæ, Fideique chriſtianæ majeſtatem ſuſpicerent. Hinc Sanctus Gregorius Nazianzenus ob hanc potiſſimam rationem ſe ſe in Philologiæ ſtudium abdidiſſe teſtatur, ut impios homines deprimeret, qui ſibi de verborum, & linguæ concinnitate blandiebantur, & eloquentiæ dibapho erroris ſtrumam ſtudebant veſtire, & tegere, & aliud nihil addiſcebant πλὴν τῆς ματάιας, καὶ κενῆς εὐγλωττιας, atque adeo æquum putavit per nothas litteras ſacris, & genuinis opem admovere: inquit enim *

τῶν λόγων δ᾽ἔρως ἐμὲ
Θερμός τις εἶχε. καὶ γὰρ ἐζήτουν λόγους
Δοῦναι βοήθους τοὺς νόθους τοῖς γνησίοις.
Ως μήτ᾽ ἐπαιροινθ᾽ οἱ μαθόντες οὐδὲν ἕν,
Πλὴν τῆς ματαίας καὶ κενῆς ευγλωττίας,
Τῆς ἐν ψόφοις τε, καὶ λάρυγξι κειμένης:

Ideſt:

Me litterarum ceperat fervens amor,
Veris ſtudentem per nothas ſuccurrere:
Ne ſe ſuperbe jactitarent, qui nihil
Norunt inanem præter eloquentiam,
In gutture ſitam, & dulcibus vocum ſonis.

Quem igitur comparaverat gladium, an, ut

* *Carm. de vita ſua.*

ut vagina perpetuo reconditus hebeſceret, committere debuit Gregorius? Non eo uti, cum opus erat ad impios conterendos, ne oratorium quidem apparatum in eo deſiderarent? Merito igitur Lactantius partem aliquam eloquentiæ contingere optabat *: *Ut, quantum veritas vi ſua propria valet, tantum ingenii quoque viribus nixa exereret ſe aliquando, & diſcuſſis, convictiſque, tam publicis, quam eorum, qui ſapientes putantur, erroribus, humano generi clariſſimum lumen inferret. Quod quidem duabus ex cauſis fieri vellem: vel quod magis poſſent credere homines ornatæ veritati, qui etiam mendacio credunt capti orationis ornatu, lenocinioque verborum: vel certe, ut ipſi Philoſophi ſuis armis potiſſimum, quibus placere ſibi, & confidere ſolent, opprimerentur a nobis.* Sed eſt Auguſtini doctrina afferenda ad rem noſtram accommodatiſſima, qui ait *: *Cum per artem Rhetoricam, & vera ſuadeantur, & falſa, quis audeat dicere, adverſus mendacium in defenſoribus ſuis inermem debere conſiſtere veritatem, ut videlicet illi, qui res falſas perſuadere conantur, noverint auditorem, vel benevolum, vel intentum, vel docilem proœmio facere; iſti autem non noverint? Illi falſa, breviter, aperte, veriſimiliter; & iſti vera ſic narrent, ut audire tædeat, intelligere non pateat, credere poſtremo non libeat?*

* *Lib 3. Div. inſtit. c. 3.*

* *Lib. 4. de Doctr. chriſt. c. 2.*

Illi

Illi ſallacibus argumentis veritatem oppugnent, aſſerant falſitatem; iſti, nec vera deſendere, nec falſa valeant reſutare? Illi animos audientium in errorem moventes, impellenteſque, dicendo terreant, contriſtent, exhilarent, exhortentur ardenter; iſti pro veritate lenti, frigidique dormitent? Quis ita deſipiat, ut hoc ſapiat? Id tamen ſapere viſus eſt Barbeyracius, atque adeo manifeſte deſipuit.

CAPUT V.

Per eloquentiæ vim commiſſi ſibi Populi calamitates emollire, & mitigare contendebant.

QUid? quod in ea ſæpe tempora Patres inciderunt, quibus tanta erat calamitatis acerbitas, ut chriſtiani ærumnis confecti animo conciderent, triſtitiaque obruerentur. Temporibus S. Cypriani aliis calamitatibus, quibus chriſtiani paſſim exagitabantur, peſtis omnium graviſſima acceſſit, quæ ſuperſtites a perſecutione chriſtianos plurimos abſtulit. Hujus peſtiferæ labis ſævitiam his verbis deſcribit Pontius, Cypriani Diaconus*. *Erupit lues dira, & deteſtabilis morbi vaſtitas nimia, innumeros per dies populos a ſua quemque ſede, abrupto impetu,* *rapiens*

* *In Vita Cypr.*

rapiens, continuatas per ordinem domos vulgi trementis invaſit. Horrere omnes, fugere, vitare contagium, exponere ſuos impie: quaſi cum illo peſte morituro, etiam mortem ipſam aliquis poſſet excludere. Jacebant interim tota civitate, non jam corpora, ſed cadavera plurimorum &c. Cyprianus autem, qui in vigilia quadam perpetua manebat, dedit operam diligenter, ne tantæ cladis atrocitate chriſtiani dejicerentur: librum ornatiſſimum ſcripſit, omni eloquentiæ ſplendore excultum, in quo puſillo, & humili animo chriſtianos erigit, mœſtos ſolatur, ne mortis timore frangantur, hortatur, ad eam alacriter ſubeundam cœleſtis vitæ expectatione accendit, & ad calcem libri paullo vehementius inflans, ſic grandis eloquentiæ genere concludit *: *Amplectamur diem, qui aſſignat ſingulos domicilio ſuo, qui nos iſtinc ereptos, & laqueis ſæcularibus exſolutos Paradiſo reſtituit, & regno cœleſti. Quis non peregre conſtitutus properaret in patriam regredi? Quis non ad ſuos navigare feſtinans, ventum proſperum cupidius optaret, ut velociter caros liceret amplecti? Patriam noſtram Paradiſum computemus, parentes Patriarchas habere jam cœpimus. Quid non properamus, & currimus, ut Patriam noſtram videre, ut Parentes ſalutare poſſimus? Magnus illic nos carorum numerus expectat, parentum, fratrum, filio-*

* *In lib. de mortalit. ad calcem.*

Digitized by Google

liorum, frequens nos, & copioſa turba deſiderat, jam de ſua immortalitate ſecura, & adhuc de noſtra ſalute ſollicita. Ad horum conſpectum, & complexum venire, quanta, & illis, & nobis, in commune lætitia eſt? Qualis illic cœleſtium Regnorum voluptas ſine timore moriendi, & cum æternitate vivendi? Quam ſumma, & perpetua felicitas? Illic Apoſtolorum glorioſus chorus: illic Prophetarum exultantium numerus: illic Martyrum innumerabilis populus ob certaminis, & paſſionis victoriam coronatus: triumphantes illic Virgines, quæ concupiſcentiam carnis, & corporis continentiæ robore ſubegerunt &c. Ecce vehemens oratio, non tam ornatibus compta, quam animi affectibus violenta, quod ad grande orationis genus requiritur, ut docet Auguſtinus. * Quis autem Cyprianum reprehendat, quod tali uſus ſit orationis genere, figuris, & tropis tam belle diſtincto? Nonne hoc acroamate imbuitur quadam dulcedine animus, præſentem deſpicit vitam, & ad futuram inhiat, & quaſi ſermonis pulegio tantæ calamitatis ruta depellitur? Equidem Patres commiſſos ſibi quoſque omni ſtudio complectebantur, & ad inſtar Apoſtoli, tamquam filiolos Chriſto parturire ſtudebant *, eiſque etiam potum lac dabant, illudque ejuſdem Apoſtoli uſurpare poterant *: *Facti ſumus*

* *Lib. 4. de Doctr. Chriſt. cap.* 20.

* *Ad Gal.* 4.

* *Ad Theſſal.* 1.

mus parvuli in medio veſtri, tanquam ſi nutrix foveat filios ſuos: Unde ad eos recreandos, & nutriendos ſermonis ſuavitatem omni lacte dulciorem iiſdem propinabant: vel ſicut matres parvulorum ſuorum amantiſſimæ, cum eoſdem ejulantes vident, & afflictos, lætis cantilenis occinunt, & eorum auribus blandiuntur; ita Eccleſiæ Doctores per ſuaviloquentiam turbatos animos tranquillare, verborum blanditiis allicere, & conditis lepore ſermonibus attrahere ad vitæ hujus deſpicientiam conati ſunt. In hac parte ſummopere excelluit Chryſoſtomus: præſertim vero, cum Antiochenis inter ſpem, & metum ob dejectas Theodoſii Imperatoris, & Flacillæ uxoris ejus ſtatuas, fluctuantibus, admiratione dignas homilias pronunciavit, *modo ut in calamitate* (inquit doctiſſimus Montfauconius) * *Verſantem populum conſolaretur, modo ut fractos periculi magnitudine animos confirmaret: tum præcipue, ut occaſione imminentium malorum Antiochenos ad vitia corrigenda, eluendaque crimina, quæ tantam Dei iram accenderant, monitorum frequentia deduceret: qui certe conatus Chryſoſtomo ceſſit ex voto, ut ille alicubi fatetur.* Fuit igitur ingenii materiem, & ſegetem ad dolorem ſedandum idoneam invenire: fuit eloquentiæ floſculos conquirere, vimque orationis: victoriæ demum fuit animos

* *Præfat. ad Homil. de Statuis Tom. II.*

mos

mos flectere, & ad pietatem impellere. Hic idem ad Stagirium, a Dœmone vexatum, tres miſit libros, magna quidem arte conſcriptos, cum ad leniendum dolorem accommodatiſſimos, tum ad provocandam in tanta animi ægritudine patientiam apprime comparatos. Et demum, ut alia omittamus, cum Theraſius genere, & facultatibus inſignis, adhuc florenti ævo, diem obiiſſet, uxorem ejus libro elegantiſſimo ſolatus eſt Chryſoſtomus, & ad viduitatis cuſtodiam eſt cohortatus. Num hic quoque de ornatu ſcriptionis, de oratorio artificio reprehendemus Chryſoſtomum, atque ita inclementes erimus, ut ſolatium, quod eſt maximum in amaris hujus vitæ infortuniis, humano generi præreptum velimus, nec amabimus, ut perfuſis triſtitia, & angore animis eloquentiæ ſplendor illuceat? Quod ſi ullum fuit in Eccleſia tempus, quo gravi, eloquenti, volubili, & fervida oratione opus eſſet; illud profecto fuit, cum Chriſtianos ingenti furore, & rabie Tyranni inſectabantur, cum bona diripiebant, exilio multabant, contumeliis, & injuriis affectos, & ſquallore carceris enectos, acerbiſſimis dedebant ſuppliciis: nec Reges ſolum, & Principes, ſed & domeſtici, & cognati tunc fideles impugnabant, et, ipſa repugnante natu-

ra, bellum oriebatur. * Pater enim filium ſæpe prodebat, et filiam mater, et ſervum herus: neque enim civitates ſolæ, neque regiones, ſed et domus nonnunquam in ſe ipſas ſectæ erant, eratque tumultus, qui tunc ſæviebat, atrocior, quam inteſtinum quodvis bellum. Quid tunc Paſtoribus, et Magiſtris Eccleſiæ? Erat illis longe gravior afflictio, quod multos viderent, minuto, abjectoque animo fugam circumſpicere, in pace leones, in prælio cervos, et, ne fidem deſererent, periclitari, ut illud Apoſtoli: * *Foris pugnæ, intus timores*, omnino quadraret. Ab extraneis quippe Eccleſiæ horrificum inferebatur prælium; a domeſticis autem erat timendum, ne quis ſuccumberet, ex iis præſertim, qui nuper fidem ſuſceperant. *Tunc igitur fidei planta imbecillior adhuc, diligentia magis indigebat: quando, veluti modo genitus infans, Eccleſiæ populus magnam providentiam, atque ſapientiam animæ, qua lactaretur, poſtulabat*, ut cum Chryſoſtomo loquar *. Nam ejus verbis, quoniam aliquot jam annos in ejus lectione conſumpſimus, valde delectamur. Quanto autem adjumento fuiſſe putamus eos libros, quos omni concinnitate circumlitos paſſim in his certaminibus, et periculis ediderunt, ut magnanimos, et fortes, et quaſi, ut dicitur, currentes inci-

* *Hac de re vide Chryſoſtomum hom. de Reſurrectione.*

* *2. ad Corinth. 7.*

* *Homil. in S. Ignat. Martyr. §. 3.*

Digitized by Google

incitarent, infirmos, et puſillanimos roborarent, negligentes ſollicitarent, et immane Idololatriæ facinus arcerent? Quanta eloquentia hac de re Tertullianus conſcripſit.* Nullum non ſequitur florem orationis S. Cyprianus, dum in eodem verſatur argumento*. Ut enim inſtante prælio claſſica inflant præfecti caſtrorum, milites ad mortem fortiter obeundam hortantur, dulcibus verbis animos molliunt, et flectunt; ſic ille agendum ſibi eſſe putavit: *Dei plebem*, inquit*, *claſſico noſtræ vocis erigimus... Quid autem potius, aut majus curæ noſtræ, ac ſollicitudini congruit, quam ut commiſſum nobis divinitus populum, & exercitum in caſtris cœleſtibus conſtitutum adverſus Diaboli tela, & jacula exhortationibus aſſiduis præparemus?* Et quamvis aſſerat, ſibi eſſe verborum moras, et tarditates amputandas, atque ambages ſermonis humani ſubtrahendas, ſolaque illa ponenda, quæ Deus loquitur, quibus ſervos ſuos ad martyrium hortatur: tamen et multis ornatibus, et figuris, et luminibus, totidem quaſi ſtellis, totam illuminat orationem, ut quæ per ſe aſpera, et horribilia eſſent, condimentis ſcriptionis mitigarentur; et ita in immanis leonis ore examen apum, et favus mellis deprehenderetur. * Hinc ad finem operis omnes nervos ora-

* *Lib. ad Martyres*.

* *Lib. de Exhort. Martyr.*

* *Præfat. ad Fortunatianum*.

* *Judic. 14.*

orationis intendit, ut cum dicit: *claudiuntur in perſecutionibus terræ, ſed patet Cœlum: minatur Antichriſtus; ſed Chriſtus tuetur: mors infertur; ſed immortalitas ſequitur: occiſo mundus eripitur: ſed reſtituto Paradiſus exhibetur: vita temporalis extinguitur; ſed æterna reparatur. Quanta eſt dignitas, & quanta ſecuritas exire hinc lætum, exire inter preſſuras, & anguſtias glorioſum: claudere in momento oculos, quibus homines videbantur, & mundus, & aperire eoſdem ſtatim, ut Deus videatur, & Chriſtus &c.?* En ornatam, et copioſam orationem verbis redundantem, et ſenſibus, quam tamen nemo contemnet, niſi qui ad virtutem inflammari detrectet. Hanc optimus quiſque colet, et ſuſpiciet. Ita enim homines et inſtruuntur facilius, et moventur aptius, et fructuoſius capiuntur. Atque hac demum id effectum videmus, quod ait Tullius *: *Nihil tam eſt horridum, tam incultum, quod non ſplendeſcat oratione, & tamquam excolatur.*

* Proœm. Parad.

CA-

CAPUT VI.

Eloquentia Patrum ad expoliendos mores adhibita, Sacris Scripturis conſentanea eſt, & quaſi ab iis ſata, & educata.

SEd Colophonem jam addimus; eam enim attingimus partem, quæ Barbeyracio oppugnando videtur aptiſſima, cum non alia ſe dicat auctoritate commoveri, niſi quæ de Scripturis ſit. Scriptura autem elegantiam ſcriptionis, eloquentemque orationem commendare, qui vel leviter advertat, facile intelligit. *Cum omnis ſcriptura divinitus inſpirata, utilis ſit ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia* *, hujus fructus partem aliquam ſibi eloquentia, & elegantia vindicat, qua perſcripti ſunt divinæ Scripturæ libri, atque ii præſertim, qui morum inſtitutionem reſpiciunt. Etenim, etſi tanta ſit potentia veritatis, ut vel ſimplex, & nuda ſe ſe in animos invehat: attamen Deo placuit, ut additis ornamentis clariori luce fulgeret, & vi potentiori perrumperet. Quæ, & quanta verborum pompa in Iſaia Propheta? Nonne dum peccatores e criminum cœ-

* *Apoſt. 2. ad Timoth. c. 3.*

no extrahere nititur, dum genti peccatrici minitatur, dum populum gravem iniquitate, in quo a planta pedis uſque ad
* *Iſai. c. 1.* verticem non erat ſanitas *, ad ſanitatem ſtudet traducere, ingenti utitur orationis flumine? Quot habet proſopejas, quot apoſtrophas, quot deſcriptiones, quot conduplicationes? Dum invehitur, quo fremitu illidit ſe ſe? Dum mulcet, ut recreat, & in ſpem erigit? Dum terret, ut quatit, & percellit? Dum calamitoſas enunciat res, ut faſtum deprimit, & compungit? Omnia ornatibus plena ſunt, copia verborum, & ſenſuum explendeſcunt, varietate expoliuntur, majeſtate grandeſcunt. Hoc ipſum videre eſt in duobus aliis Prophetis Ezechiele, & Jeremia, qui eodem tempore, etſi non eodem in loco prophetico munere claruerunt. Atque hic alter, etſi ſimplici utatur ſtylo: eſt tamen eloquentiſſimus, totque figuris, & tropis orationem adſpergit, ut nemo profecto ex Patribus ad eum accedere videatur. Sic ubi idololatriæ ſcelus Iſraelitis, & Judæis, & præcipue Sacerdotibus objicit, in hunc mo-
* *Cap. 2.* dum exardeſcit: * *Sacerdotes non dixerunt: ubi eſt Dominus? & tenentes legem neſcierunt me, & Paſtores prævaricati ſunt in me: et Prophetæ prophetaverunt in Baal, et idola ſequuti ſunt. Propterea adhuc judi-*

cio

Digitized by Google

cio contendam vobiſcum, ait Dominus, et cum filiis veſtris diſceptabo. Tranſite ad inſulas Cethim, et videte: et in Cedar mittite, et conſiderate vehementer, et videte, ſi factum eſt hujuſmodi. Si mutavit gens Deos ſuos, et certe ipſi non ſunt Dii; Populus vero meus mutavit gloriam ſuam in Idolum. Obſtupeſcite cœli ſuper hoc, et portæ ejus deſolamini vehementer, dicit Dominus. Duo enim mala fecit Populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas. Numquid ſervus eſt Iſrael, aut vernaculus? Quare ergo factus eſt in prædam? Super eum rugierunt leones, et dederunt vocem ſuam, poſuerunt terram ejus in ſolitudinem: civitates ejus exuſtæ ſunt, et non eſt qui habitet in eis. Filii quoque Mempheos, et Taphnes, conſtupraverunt te uſque ad verticem. Numquid non iſtud factum eſt tibi, quia dereliquiſti Dominum Deum tuum eo tempore, quo ducebat te per viam? Et nunc quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam? Et quid tibi cum via Aſſyriorum, ut bibas aquam fluminis etc.
Quid fortius, quid eloquentius, quid plus figuris interceptum, & tropis coloratius deſiderare quis poteſt? Hic vehemens invectio: hic apoſtrophe: hic interrogationes nervoſæ: hic a minori ad majus argumentatio: hic exemplorum in-

ductio: hic metaphoræ: hic allegoriæ: hic alia plura, quæ facile quis legendo animadvertet, eaque apta inveniet, quæ & inſtruant intellectum, & voluntatem accendant, alienumque a Deo animum ad eumdem reducant. Num Auguſtinus, num Ambroſius, num Baſilius Magnus, num vel ipſe Chryſoſtomus tanto eloquentiæ ſtrepitu umquam pugnavit? Eſt vero hujus poſtremi Doctoris ſimile aliquod vehementis orationis exemplum, ut intelligi poſſit Patrum eloquentiam, ceu rivulum e Scripturarum fonte manaſſe. Hic enim S. Doctor, cum Chriſtianorum nonnullos Judaicorum rituum ſtudioſos inſectaretur, & veluti chriſtianæ religionis defectores objurgaret, ſic prædictum Jeremiæ locum imitatus declamat. *Quid igitur*, inquit, * *unumquemque iſto morbo affectum percontabor: Chriſtianus es? Cur ergo æmularis Judaica? At Judæus es? Quam igitur ob cauſam moleſtus es Eccleſiæ? Qui Perſa eſt, nonne, quæ Perſarum ſunt, curat? Barbarus, nonne barbarorum ritus æmulatur? qui habitat in ditione Romanorum, non utitur noſtris legibus? Age, dic mihi, nonne ſi quis horum, qui apud nos vivunt, cum illis ſentire fuerit deprehenſus, inauditus, citraque examen punitur, etiamſi infinita habeat, quibus cauſam ſuam poſſit defendere? Et ſi quis apud iſtos extiterit, qui*

* *Hom. 4. adverſus Judæos §. 3.*

roma-

romanis utatur inſtitutis, nonne rurſus idem patietur? Quomodo igitur tu, qui ad impium illud vitæ inſtitutum defeciſti, audes ſperare ſalutem? An exiguum intervallum eſt inter nos, et Judæos? An de rebus levibus, aut vulgaribus inter nos eſt controverſia, ut tu unum, et idem eſſe credas noſtrum, et illorum inſtitutum? Cur non miſcenda miſces? Illi crucifixerunt Chriſtum, quem tu adoras; vides, quantum intereſt? Qui fit igitur, ut ad illos, qui Chriſtum occiderunt, curras, profitens te adorare Crucifixum? Neque vero ipſe legem hanc fero, qua illos criminer, nec hanc accuſationis formam inveni. An non Scriptura ſimili modo accuſat illos? Audi igitur, quid dicat Jeremias adverſus illos: abite in Cedar, et videte: emittite ad inſulas Chetiim (ita enim apud Septuaginta legebat) *et judicate, num talia facta ſint. An gentes mutent Deos ſuos, et iſti non ſunt Dii. Vos autem mutaſtis gloriam veſtram in eam, ex qua nihil utilitatis capietis etc.* Et horum exemplorum pleni ſunt omnes SS. Patrum libri: nec enim multa vacat afferre, cum nemo ſit in ipſorum lectione tam hoſpes, & peregrinus, qui non in plurima hujus generis inciderit exempla. An non igitur, Barbeyraci, jure dicemus, eloquentiam Patrum in Scripturarum ſinu natam, educatamque fuiſſe? Quod ſi quis requirit, ut ipſam Scripturarum eloquentiam,

unde

unde illa Patrum extitiſſe viſa eſt, uberius demonſtremus, facile ei morem gerere poſſumus. Vel ipſe enim Propheta, qui & humilem adhibet ſtylum, & paſtor, & armentarius fuit, ex quo minor petenda fuiſſet eloquentia, Amos nimirum Propheta, tantam, tamque variam aliquando affert eloquentiam, ut vix major requiri poſſet. Equidem Auguſtinus * ex capite ſexto ejuſdem Prophetæ locum adducit exempli cauſa, in quo maxima inſidet vis eloquentiæ. Sed ab eo commemorando brevitatis gratia ſuperſedebimus, & ad eum lectorem delegamus. Hac igitur arte Prophetæ impietatem opprimere, idolorum figmenta dejicere, Dei cultum reſtituere, & mores ſtudebant emendare: his eloquentiæ vinculis abalienatos animos attrahere, et in ſuaviſſimam captivitatem redigere. Nam de cæleſti illa ſuavitate, quam Pſalmorum liber undequaque expirat, quid eloquar? Quid eſſe poteſt hoc libro dulcius? Quid excogitari poteſt ornatius? Sed nec alio tendit, hæc tam mira ſuavitas, niſi ut pravos coerceat affectus, qui per hominum vitam in animos varie graſſantur, et niſi, ut honeſtas ingeneret cogitationes. *Etenim, ubi Spiritus Sanctus*, inquit S. Baſilius Magnus, * *genus hominum perſpexit ad excolendam virtutem adduci vix poſ-*

* *Lib. 4. Doctr. Chriſt. cap.* 7.

* *Homilia in Pſalm.* 1. §. 2.

poſſe, & a nobis ob noſtram in voluptatem propenſionem viam rectam contemni, quid agit? Dogmatis immiſcuit harmoniæ dulcedinem, ut rerum auditarum jucunditate, ac dulcedine eloquiorum, utilitatem neſcientes perciperemus: haud aliter, atque ſapientes medici, qui nauſeantibus potionem amariorem daturi, ſæpius calicem melle circumliniunt. Et paullo poſt: *O ſapiens*, inquit, * *Magiſtri inventum, qui artem, qua ſimul caneremus, et utilia diſceremus, excogitavit: unde et magis quodammodo animis præcepta imprimuntur. Vix enim durare ſolet, quod invitus didiceris; quod autem jucunde, ſuaviterque acceptum eſt, tenacius in animis noſtris inſidet.* Quamobrem, quis eo nomine Patribus jure ſuccenſeat, quod ad obligandos dulciter animos, ad eos rite componendos, eloquentiæ ſtuduerint, molleſque aditus captaverint lætitia, copiaque verborum? An non eos hanc artem de ſacris litteris didiciſſe putandum eſt? Sed eſt aliquid hac in re majus, et inſignius. Nemo magis Gentiles illexit, peccatores attraxit, mores inſtituit, quam Apoſtolus Paullus, cujus tamen virtus ab eloquentia multum hauſit utilitatis: hac teneros, et flexibiles animos effecit, eos vel duriſſimos, inſtar molliſſimæ ceræ, ad arbitrium ſuum formavit, et finxit: hac virginem caſtam docuit exhibere Chriſto:

* p. 2.

ſto: ſuperſtitioni ethnicæ bellum indixit, mundum ſceleribus inquinatum ſanctificavit, excoluit, ſanctiſſimiſque imbuit diſciplinis. Nam, etſi imperitum ſermone ſe eſſe dicat *: non inde tamen putandum eſt, eloquentiæ dignitatem contempſiſſe, aut neglexiſſe; ſed imperitum ſermone ſe eſſe dixit, vel quod verborum præſtigias τὴν τῶν λόγων τερθρείαν, & τὸν περίεργον τῶν ἔξωθεν καλλωπισμὸν parvi penderet, ſeu paullo numeroſiores clauſulas, & Gentilium lenocinia non ſequeretur, ut Chryſoſtomus docet *, ſine quibus tamen eloquentiæ ratio conſtare poteſt, teſte Auguſtino *. Vel id dixit Apoſtolus, quaſi concedendo obtrectatoribus, non tamquam id verum agnoſceret, confitendo, ut Auguſtinus idem explicavit *. Cæterum non inde abjiciendæ numeroſæ, & ornatæ orationis argumentum ſacris Doctoribus eſſe debuiſſet, ſi hæc in Paullo deſiderata fuiſſet; quippe in ipſo, demptis etiam Rhetorices floribus, multa ad perſuadendum erant incitamenta. Primum, quod mortuos ſuſcitaret, aliaque mirabilia efficeret. Secundo, quod cœleſti quadam ſanctimonia fulgeret, ac plane divina, ut, eo etiam tacente, quamplurima aliorum admirationem elicerent. Hæc autem, ſicut in Paullo erant, nemo alius ſibi poterat vindicare. Igitur quantum

ab

* *2. ad Corinth. c. 12.*

* *Lib. 4. de Sacerd. §. 6.*

* *Lib. 4. de Doctr. Chriſt.*

* *Ibid. c. 7.*

Digitized by Google

ab iis aberant, quæ in Paullo tantopere emicabant, tantum in verbis ornamenti, & decoris adſiſcendum fuit a ſacris Doctoribus. Verumtamen, cum ex Quintiliano, & Tullio duplex eloquentiæ munus ſit; alterum in cogitatis polite efferendis; alterum vero in rebus pro varietate, et dignitate materiæ, et Auditorum ratione tractandis: hoc poſtremum ita fulget in epiſtolis Paulli, ut nec ſplendidius, nec fortius, nec ſublimius, nec gravius quidquam, nec nervoſius vel ipſe Demoſthenes eſſet deſideraturus. Primum vero in verborum phaleris præcipue poſitum eſt, et illud quidem mutabile pro varietate regionum, et temporum, curandumque eſt, ut hic ornatus virilis, fortis, et ſanctus ſit: nec effæminatam levitatem, nec fuco eminentem colorem amet: ſanguine, et viribus niteat, ut idem Quintilianus docet*. Verba itaque ſenſibus ſerviant, non ſenſus verbis: res extenuantur, ſi nimio verborum habitu veſtiuntur. Jam vero, Apoſtolus equidem non circumit amore verborum, non fucatis comit orationem coloribus, quod nimium ab apoſtolica dignitate abhorreret: attamen quis exequi verbis poſſit, quo artificio ſe ſe inſinuet, quod præſtantiſſimæ eloquentiæ munus eſt, quas adhibeat figuras ad expugnandos

* *Lib.* 8. *cap.* 3.

dos animos adminiſtras, qua demum vi ſermone illo vivo, & efficaci *, & penetrabiliori omni gladio ancipiti animos ipſos vincat? *Cum autem verborum ornatus*, ait eruditus Duhamelius, * *deeſt*, *tum is nec deſideratur*, *ac ſtylus ipſe nuda ſimplicitate pellucet*, *pigmentorum delectu longe auguſtior*, *quam foret ex copia*. Et certe vel ejus obtrectatores eaſdem epiſtolas graves, & fortes confeſſi ſunt *. Hinc merito S. Auguſtinus *, cum de eorum eloquentia diſſereret, qui divino afflante Spiritu ſcripſere, aliquot congerit Apoſtoli loca, quæ ingenti quodam ornatiſſimæ eloquentiæ currunt flumine; præcipue vero locum affert deſumptum ex Epiſtolæ ſecundæ ad Corinthios capite ſexto, ubi monet Apoſtolus, ut patienter mala hujus temporis cum ſolatio donorum Dei omnia tolerentur, & locum alterum ex epiſtola ad Romanos *, ubi agit, ut perſecutiones hujus mundi caritate vincantur ſpe certa in adjutorio Dei, & in hunc modum declamat ornate, & granditer: *Scimus*, *quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum iis*, *qui ſecundum propoſitum vocati ſunt Sancti*. *Nam quos præſcivit*, *& prædeſtinavit*, *conformes fieri imaginis Filii ſui*, *ut ſit ipſe Primogenitus in multis fratribus*. *Quos autem prædeſtinavit*, *hos et vocavit*, *et quos vocavit*,

* *Epiſt. ad Hebr. c.* 5.

* *Præfat. in epiſt. Paulli*.

* 2. *ad Corinth. c.* 10.

* *Lib.* 4. *de Doctr. Chriſt.*

* *Cap.* 8.

vit,

Digitized by Google

vit, hos et juſtificavit; quos autem juſtificavit, illos et glorificavit. Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio Filio ſuo non pepercit; ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? Quis accuſabit adverſus electos Dei? Deus qui juſtificat, quis eſt, qui condemnet? Chriſtus Jeſus, qui mortuus eſt, imo qui et reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Quis ergo nos ſeparabit a caritate Chriſti? Tribulatio? An anguſtia? An fames? An nuditas? An periculum? An perſecutio? An gladius? ec. Vide hominem ardenti, & inflammata eloquentia perorantem: vide quanta verborum abundantia, & figurarum varietate utatur. Agit tamen de muniendo adverſus perſecutiones animo, quod ad mores pertinere, nemo contradixerit. Sed quid eſt jam, quod loqueris Paulle? Quid ſunt hæc orationis ornamenta? Quid hi tropi? Quid hæ figuræ? Quid tam vehemens, & concitata oratio? Non bene congruunt declamatoriæ hæ artes mores inſtituenti: æquali, & temperata, & ſimplici opus eſt oratione: magnifica, & accenſa obvolvitur veritas, & quaſi inducto fuco corrumpitur. Erras ſcilicet, ſi declamando irretire, & pellicere animos putas. Imo vero per hoc eloquentiæ flumen,

per-

perque variatam orationem, ne dum ſcribendo, ſed & ſe præconem Evangelii exhibendo, & concionando animos abalienatos dulciter obſtrinxit, & illigavit; dignitatem rerum divinarum portendit, contradicentes coarguit, & obſtupefactos admiratione ipſa homines Chriſto lucrifecit. *Unde nam*, merito inquit paullinæ eloquentiæ admirator, & cultor Chryſoſtomus *, *Judæos Damaſcum incolentes confudit, cum nondum miracula edere cœpiſſet? Unde Helleniſtas item proſtravit? Quare Tharſum miſſus eſt? Nonne, quia vi verbi ſuperabat, & in tantum ipſos premebat, ut ſe victos eſſe non ferentes, ad illius necem inflammarentur? Nondum enim miracula edere cœperat, ne poſſit quiſpiam dicere, multos ipſum ob miraculorum gloriam admirandum habuiſſe, eoſque, qui cum eo pugnabant, viri exiſtimatione fuiſſe proſtratos. Nam ad id uſque tempus ſermonis vi ſuperabat. Adverſus eos autem, qui Antiochiæ judaizare aggrediebantur, quomodo dimicabat, diſputabatque? Areopagita vero ille, ſuperſtitioſiſſimæ Urbis illius civis, nonne ex ſola ejus concione cum uxore ſecutus eum eſt? Eutychus autem quomodo de feneſtra delapſus eſt, nonne, quia uſque ad multam noctem ejus audiendæ doctrinæ vacabat? Quid vero Theſſalonicæ, & Corinthi? Quid Epheſi, et in ipſa Roma? Nonne dies, noctesque inſume-*

* *Lib. 4. de Sacerdot. c. 6.*

Digitized by Google

mebat in exponendis Scripturis? Jam, quid dixeris de illis diſputationibus cum Epicureis, et Stoicis? .... Cum itaque, et ante ſigna, et in mediis ſignis ipſum multa dicendi vi uſum eſſe palam ſit, quomodo adhuc audeant idiotam dicere eum, qui diſputationibus, et concionibus magnam ſibi apud omnes admirationem conciliavit? Cur Lycaones ipſum Mercurium eſſe ſuſpicati ſunt? Nam, quod Dii eſſe putarentur, id ex ſignis efficiebatur; quod vero Paullum Mercurium eſſe putarent, id non ſignorum, ſed eloquentiæ cauſa evenit.* Et vero Mercurius apud Gentiles Deorum nuncius, & interpres habebatur, proinde & Deus eloquentiæ dictus eſt, quod linguam, eloquiumque præſtaret mortalibus. Nam & Mercurius dicitur, quaſi *medius currens*, quod ſermo currat inter homines medius, quemadmodum ex Arnobio docet Auguſtinus.* Hinc valde eloquentes homines Mercurio comparantur. Ariſtides de Demoſthene inquit: ὅν ἐγὼ φαίην ἄν Ἑρμῦ τινος λογίυ τύπον εἰς ἀνθρώπυς κατελθεῖν. Qui igitur non Mercurii imago, ſed ille ipſe eſt creditus, quemadmodum a Lycaonibus Paullus, eloquentia longe præſtantiſſima excellere debuit, & ea ipſa copioſa, & volubili, qua iidem delectabantur. Neque hujus perſuaſionis, & erroris aliam aſſignat cauſam S. Lucas*, niſi quod Paullus ἦν ὁ ηγύμενος τῦ λόγυ, id-

* *Act.* 14.

* *Lib. 7. de Civit. Dei c.* 14.

* *Act.* 14

eſt: *erat Dux verbi*, ſeu quod eloquentia præiret Barnabæ. Quamobrem deſinant adverſarii Patribus obtrectare, quod ad leniendos auditorum animos ornatam eloquentiam uſurpaverint, niſi & Apoſtolum velint reprehendere, qui eadem arte Gentiles capiebat. Apoſtolus idem ad Hebræos diſertiſſime ſcripſit, quod comptiſſimo eloquio, & ſublimi plurimum afficerentur, eaque eloquentia aptiſſima poterat videri ad minuendas eas calamitates, in quas impiorum hominum pravitate delapſi erant, quod illud totum eſt, quod hactenus in Patribus laudavimus. Age vero, Patres ad eloquentiæ ſtudium a verbis etiam ejuſdem Apoſtoli incitati fuerunt: ait enim in epiſtola ad Coloſſenſes *: *verbum Chriſti habitet in vobis abundanter*, ſeu πλουσίως, *opulente*, & *divitum more*, ut interpretatur Eraſmus *. *Nam hoc verbo*, ſubdit, *delectatus eſt Paullus*, *quoties exuberantiam cujuſcumque rei ſignificare vult*. Jubet igitur Apoſtolus, verbum Chriſti copioſe, & luculenter a nobis tractari. In hunc modum intelligit hæc verba Chryſoſtomus *. Rurſus Apoſtolus idem in eadem epiſtola ait: * *Sermo veſter ſemper in gratia ſale ſit conditus* ἐν χάριτι ἅλατι ἠρτυμένος, *ut ſciatis quomodo oporteat vos unicuique reſpondere*. Hæc verba de concionum gratia, & ornatu, accipit

* *Cap.* 3.

* *Comm. in eam epiſt.*

* *Lib.* 4. *de Sacerd. cap.* 7

* *Cap.* 4.

cipit ipſe Chryſoſtomus. * Vatablus etiam * *Ibid.*
ſic exponit *: *ſit feſtivus propter Gentiles qui-* * *Apud Crit. Sacr.*
bus vera audienda, ſed cum ſuavitate. Zegerus item ſic accipit: *habeat ſermo veſter gratiam, comitatem, jucunditatem, ita ut prudentiæ, temperantiæque ſale ſemper ſit conditus, ne, ſi plus aſper, & auſterus fuerit, audiri, & in cor trajici nequeat, aut ſi ſale careat, ut cibus inconditus, faſtidiatur*. O præclaram docendi, & certam, & directam viam! Et veritatis fructum deguſtandum præbere, nec folia ornamentorum prætermittere: vere enim hæc *folia ad ſanitatem gentium* * conferunt, ut il- * *Apocal. 22.*
la, quæ in Apocalypſi commemorantur. Quare Patres mihi videntur, & illud Phocylidis proſecuti * * *Carm. Hortatorium.*

Ευεπίην ἀσκεῖν, ἥτις μάλα πάντας ὀνήσει:

Quod verti ſic poſſet:

Eloquium exerce, toti quod proderit Orbi.

CAP. VII.

Hæc eloquentia non offundit tenebras veritati.

At declamatoria hac, & polita oratione ſinceræ veritatis candor tenebris offunditur, & quaſi ſub aliena veſte contegitur. Ego vero contra, illuſtrari, patere, intelligique commodius, dixe-

rim. Hic enim Barbeyracium tenere me ſpero. Nam, ſi ita eſſet, ab ea Doctor veritatis ſemper abhorruiſſet, nec ad eam alios incendiſſet. Deinde ut in brevitate obſcuritas; ita in uberiori ſermone claritas ineſt. *Fallit enim plerumque*, inquit Hilarius *, *& audientes, & docentes brevitas verborum: & compendio ſermonum, aut non intelligi poteſt, quod requiritur, aut etiam corrumpitur, quod ſignificatum magis, quam enarratum rationis abſolutione non conſtat*. Si copioſa, & ornata oratio non ſecta in partes, & quaſi diſcerpta ſpectetur, ut plenus meridies eluceſcit, & ſe ſe ante conſpectum mentis ponit: contra vero jejuna, & ſicca nequit ſine interprete perſpici, cum, quæ dicuntur, alio trahi, torquerique poſſint. Cum fertur, quaſi torrens, oratio, omnia undequaque rapit, minuta quæque conſectatur, in ſingulis inſiſtit rebus, nec finem facit, niſi teneas, & quaſi manibus apprehendas, quod dicitur. Quemadmodum metallorum Foſſores inconditas, & informes maſſas auri, & argenti eruunt, erutaſque poliunt, refricant, apteque diſponunt, & tali modo conſtat, quanti facienda ſit ea materies, quam e terræ viſceribus effoderunt; ita qui eloquentiam exercent, veritatem quaſi e tenebris, abditiſque locis in apertam lucem profe-

runt,

* *Lib. de Synodis num. 2.*

runt, & dum eam elegantiis oblinunt, palam faciunt, quam ea ſit pretioſa, quæ prius operta negligebatur. Sicut in pleriſque rebus hoc natura eſt ipſa fabricata, ſic in oratione, ut, quæ maximam in ſe dignitatem, & ſæpe etiam venuſtatem continerent, eadem plurimum haberent utilitatis, quod a Tullio egregie obſervatum fuit *. Nulla eſt hominum, vel etiam cæterorum animantium forma, & figura, nulla pars corporis, non articulus, non nervus eſt ſine aliqua neceſſitate afficta; quorum tamen omnium incredibilis eſt quædam ſpecies, & elegantia. Quid in arboribus? in quibus non truncus, non rami, non folia ſunt denique, niſi ad ſuam retinendam, conſervandamque naturam. Nuſquam tamen eſt ulla pars, niſi venuſta. Eſt igitur quædam inter venuſtatem, & utilitatem communio, & vinculum, ut una alteram juvet, augeat, intendat. *Hoc in omnibus item*, concludit Tullius, *partibus orationis evenit, ut utilitatem, ac prope neceſſitatem, ſuavitas quædam, & lepos conſequatur*. Nulla autem major utilitas eſt, quam, quæ veritate gignitur; atque adeo in circuitu, & quaſi curſu verborum major erit veritatis oſtentatio, & decor, & everſio falſitatis. Nam licet ſacræ quoque Sponſæ vox dulcis eſſet *, labia ut vitta

* *Lib.* 3. *de Orat. cap.* 45. *& cap.* 46.

* *Cantic.* 2., &

vitta coccinea, eloquium dulce, favus diſtillans in labiis, mel, et lac ſub lingua ejus; tamen aſſimilatur Turri, ex qua mille clypei pendent, de proſtrato, fuſoque mendacio certiſſima monumenta.

CAPUT VIII.

Id confirmatur exemplo eloquentiæ Chryſoſtomi.

ET vero quis ab Apoſtolis in Sancta Dei Eccleſia eloquentior unquam fuit Chryſoſtomo? Hic Auditores excitat, accendit, lenit, ad hilaritatem, et ad ſanctam triſtitiam ſæpe deducit. Quis tamen evangelicam veritatem vividioribus umquam coloribus pinxit? Quem non in ejus amorem inflammavit facili illa, et concinna verborum volubilitate? Atque ſinceræ hujus Doctoris eloquentiæ teſtem advoco Barbeyracio, ut puto, minime inviſum, Deſiderium Eraſmum, ex cujus verbis ne dum illud omne effloreſcit, quod hactenus de eloquentia Patrum diximus; ſed et conſtat veritatem in tanto eloquentiæ fluvio minime demerſam fuiſſe, et feliciter in portum appuliſſe, fulgentioremque evaſiſſe. Eſt autem præſertim hujus Doctoris vindicanda eloquentia, ſive quod præcipue in mo-

ribus

ribus excolendis operam poſuerit ſuam, numeroque concionum reliquis pene omnibus Patribus antecellat; ſive quod præcipuo quodam amore hunc proſequamur, et aliquot jam annos in ejus lectione magna, ut diximus, cum jucunditate conſumpſerimus. Eraſmus igitur aliquot opera Chryſoſtomi e græcis latina faciens, ſic præfatur. * *Hic profecto, ſi quis alius, inter Scriptores eccleſiaſticos, omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci. Quis enim docet evidentius? Quis Hæreticos refellit acrius? Quis in mores declamat vel frequentius, vel liberius? At contra, quis id facit popularius? Tanta caritatis ſuavitate concalcat etiam illa, quæ natura ſunt amara. Quoſdam vix ferimus adulantes, hunc & objurgantem poſſis amare.... Cumque tantus eſſet tum eruditione, tum eloquentia; tamen incredibili quodam juvandi ſtudio, quidquid fere ſcripſit, accommodavit auribus populi, eoque ad hujus captum demiſit orationis habitum, quaſi Præceptor cum puero diſcipulo balbutiat..... Jam nihil eſt tam reconditum in divinis litteris, quod ille tractando non reddiderit theatricum, ut ita loquar, ac populare. Sic eruit, quæ ſunt abſtruſa, ſic oſtentat, ſic ingerit oculis: dicas eſſe quempiam, qui ſingularis artificii tabula ſpectatores remoretur, quam, quo diutius, ac propius inſpicias, hoc magis aperit ſe ſe ſub-*

* Epiſt. ad Jo: Regem Luſitaniæ.

*inde novi quippiam, quod oculos ſefellerat, & animadverſum recreat. Tali revera tabulæ ſimilis eſt divina Scriptura, quam incomparabilis Artifex Spiritus ille cœleſti penicillo nobis depinxit, ut in hujus contemplatione jugiter verſantes, & hujus Mundi tædia fallamus, & ſemper aliquid novæ voluptatis percipiamus ex cognitione rerum æternarum. Atqui commonſtrator idoneus hujus tabulæ non poſſit eſſe, niſi qui ſit ipſe præclarus artifex, & inſigniter oculatus. Velut Hic Noſter Lazarum, & Divitem producit in Theatrum *: Sit enim hoc exempli cauſa propoſitum. Quis alius perſpexiſſet, quæ ille ibi commonſtrat? Cumque jam ſpectator credens nihil ſupereſſe parat abitum, ille revocat: Heus, inquiens, ſupereſt aliud cum primis annotatu dignum. Deinde rurſus aliud ex alio commonſtrat, nec te patitur a tabula diſcedere. Tandem adhuc avidum, & inhiantem dimittit. Metaphoris, & collationibus, quoniam plurimum conducunt, & ad lucem, & ad jucunditatem orationis, frequenter utitur, in quibus inveniendis quidem mirus eſt; ſed multo mirabilior Artifex in tractandis. Tractantur autem ex circumſtantiis a pari, majore, et minore. Hic mirum, quos gradus invenit, vel deprimendi, vel exaggerandi. Addit ſubinde ſtimulos, nunc collaudans illorum docilitatem, nunc objurgans ſegnitiem, nunc pollicens ſe digna cognitu prolaturum, ſi conſpiciat at-*

* Celebres ſunt Chryſoſtomi de Lazaro, & Divite conciones.

tentos, & *avidos*, *nunc aliis*, *atque aliis nominibus commendans argumentum*, *quod tractaturus eſt*: *nonnumquam repetens*, *quæ dixerat*, *nec raro faciens idem in eadem concione*. *Dedit hoc Vir eloquentiſſimus multitudinis ingenio*, *rudi pariter*, *atque obliviofo*, *quæ nec intelligit*, *niſi dilucide*, *craſſeque tradas*, *nec meminit*, *niſi ſubinde repetitum infigas*. *Hoc admonui*, *ne quis loquacitatis nomine damnet*, *quod caritas*, *quæ nihil aliud quærit*, *quam ædificare*, *dedit auditorum imbecillitati*. *Sic* & *Paullus apud Theſſalonicenſes ad illorum ruditatem ſubmiſit ſe ſe factus*, *ut parvulus in medio eorum*, *tamquam ſi nutrix foveat filios ſuos*. Hactenus ille. Atque hæc omnia, quæ de Chryſoſtomi eloquentia teſtificatur Eraſmus, exemplis ejuſdem Doctoris confirmare poſſemus, niſi timeremus, ne hæc diſputatio plus æquo productior eſſet, negotiumque lectoribus faceret. Sed id totum quiſque in Chryſoſtomo facile poteſt animadvertere, etſi primoribus tantum, ut dicitur, labris doctrinam ejus deguſtaverit. Eſt enim Chryſoſtomus in argumentis tractandis ſibi conſtantiſſimus: ubique lepos, ubique jucunditas, & amœnitas quædam inexplicabilis. Illud autem præcipue apparet ejus opera legenti, quod recte advertit Eraſmus, ut abſtruſa, & obſcura, quæcumque ſint, oculis

ſub

Digitized by Google

ſubjiciat, ut pene videri, comprehendique poſſint, & quæ a dicente ſæpe exhauſta eſſe videntur, iterum reviviſcant, &, de neſcio quibus cavernis, & latibulis, eruantur. Quod ſine magno ingenio, maximaque doctrina fieri certe non poteſt; atque adeo liquet, quam perperam dixerit Barbeyracius, eum, qui indulgeat eloquentiæ, in res non ſe profundius demittere, nec ullo modo ad vivum reſecare. Quamobrem nihil veritatis nitori detraxit verborum copia, & ſententiarum, & ornatuum adſcitus quidam ſplendor, imo in hoc tanto elegantiarum comitatu ſe ſe emerſit apertior, & clarior forma veritatis. Ejus rei tot ſunt exempla, quot conciones. Et nobis equidem in proclivi, ut diximus, eſſet hujus generis exempla plurima afferre, niſi & brevitatem amaremus, & niſi ipſa per ſe res ſine etiam teſtimonio loqueretur. Quamquam committere non poſſum, quin ejus eloquentiæ ſpecimen aliquod exhibeam, quantumque in augenda, amplificandaque veritate contulerit, demonſtrem. Neque vero tot exemplis pudebit totam hanc diſceptationem implere, cum & Auguſtinus de eloquentia ſacra diſſerens * appoſitis paſſim exemplis, quaſi gemmis quibuſdam, orationem ſuam locupletaverit. Chryſoſtomus igitur ſeptem concionibus

* *Lib. 4. de Doctr. Chriſt.*

nibus de *Divite*, & *Lazaro*, quas Eraſmus etiam commemoravit, parabolam Divitis, & Lazari * diſertiſſime expoſuit, tantamque elicuit ſenſuum, & verborum copiam, tantaque vi veritatis cauſam peroravit, ut occulta quadam via ſe ſe in animum immittens ad rerum mundanarum deſpicientiam mirabiliter inflammet. Quare in hunc modum magnifica quadam ſtructura, & abundantia verborum ad divitiarum contemptum, ad patientiæ, & eleemoſynæ proſecutionem hortatur, quibus rebus ad dirigendos chriſtianos mores, nihil eſſe præſtabilius, nihil ſalutarius poteſt: *Dives erat quidem*, inquit *, *nomine, non re ipſa: Dives erat quidem purpura indutus, cui menſa apponebatur opipara, vini crateres habens coronatos, qui convivia quotidie celebrabat. Alter vero quidam erat pauper, Lazarus nomine. Ubi ergo nomen Divitis? Nuſquam: Quippe qui nomine careat. Quantæ divitiæ? Nec tamen illi nomen reperitur. Quales tandem hæ divitiæ? Arbor foliis vernans, ſed fructu deſtituta; quercus in altum protenſa, quæ glandem brutis animantibus in cibum ſuppeditat, homo, qui fructum non habet hominis. Ubi enim divitiæ, ac rapinæ, lupus eſt is, qui cernitur: ubi divitiæ, & feritas, leonem video, non hominem: nobilitatem perdidit ignobilitate malitiæ. Dives erat quidam, qui* quo-

* Luca 16.

* Concion. 6.

quotidie purpura induebatur; anima vero ejus araneis referta erat: unguenta ſpirabat; at fœtoris plenus erat: menſà illi apponebatur opipara, paraſitos, & adulatores alebat: carnem ſaginabat ancillam; dominam autem fame confectam negligebat: domus illi erat ſertis redimita; ſed fundamenta peccati calce obducta, & anima in vino defoſſa .... Alius vero quidem erat Lazarus, ulceribus plenus, ad oſtium divitis ſedens, qui vel micas capiebat. Juxta fontem ſitiebat, in re tam proſpera fame conſumebatur. Et quonam projectus fuerat? Non in bivium, non in vicum, non in angiportum, non medium in forum; ſed ad oſtium Divitis, qua ingreſſurus ille, egreſſuruſque neceſſario erat, ne diceret: non vidi, præterivi, non oculis inſpexi. Ad ingreſſum tuum jacet Margarita in cœno, & non vides? Medicus ad oſtium, & non curaris? Gubernator in portu, & naufragium pateris? Paraſitos alis, & pauperes non alis? .... Ad oſtium jacebat pauper: pauper foris, dives intus: corpore ulceribus plenus: theſaurus, qui in ſuperficie ſpinas, intus vero margaritas habebat. Quod enim illi nocumentum ex infirmitate corporis, anima bene valente? Audiant pauperes, & ne mœrore præfocentur: audiant divites, & a nequitia convertantur. Ideo namque hæ duæ nobis imagines proſtant divitiarum, & paupertatis, crudelitatis, & tolerantiæ; patien-

tientiæ, & avaritiæ, ut, cum videris pauperem ulceribus plenum, & deſpectum, ne miſerum prædicaveris: cum videris divitem ornatum, ne beatum dixeris. Gradum refer ad parabolam: ſi te turbet naufragium cogitationum, fuge in portum: ex ejus narratione conſolationem accipe. Quæ orationis hilaritas in aliena etiam forma, quippe Chryſoſtomus græco, ut omnibus conſtat, ſcripſit eloquio? Quæ copia? Num autem hac copia obruitur veritas? An non potius emicat latius, ut, quot ſunt verborum circuitus, tot ſint novæ ejus acceſſiones? Si hoc totum breviter fuiſſet complexus, ejus tantum ſcintilla apparuiſſet, quæ ſubito extincta percellere oculos diuturniori luce non valuiſſet; nunc autem tropis, & figuris accenſa, & inflammata oratio clariſſime affulget, & explicatur. Imo, quod majus eſt, ita panditur auditori, ut etiam placeat. *Optimus eſt enim Orator*, ait Tullius,* *qui dicendo animos audientium, & docet, & delectat, & permovet. Docere debitum eſt, delectare honorarium, permovere neceſſarium.* Idque jure, ac merito Auguſtinus* ad ſacrum Doctorem transfert, ad quem pertinet, ne dum efficere, ut veritas pateat; ſed etiam, ut placeat, & animum ſubeat. Placet autem, animumque pervadit, ſi copioſa, ſi eleganti, ſi concitata,

* *De optimo genere Orat.*

* *Lib. 4. de Doctr. Chriſt.*

tata, ſi vehementi oratione condiatur, ſi tropis, & figuris variata, & cumulata fuerit. Ad hoc obſecrationes, increpationes, coercitiones conducunt. Aliud enim exequitur, qui Philoſophum agit: aliud qui ſacrum Doctorem, Oratoremque: ille veritatem enucleare quærit, perſpicuamque reddere: hic, cum claram docendo præſtiterit, ita debet auditorem mulcere, ut eamdem amet, & proſequatur. Primum in tenui, vel temperato, & æquabili dicendi genere concluditur; alterum, & tenue, & temperatum non omnino, ſi opus ſit, reſpuit; ſed grandi, & ardenti plerumque delectatur. *Oportet igitur*, inquit Auguſtinus, * *eloquentem Eccleſiaſticum, quando ſuadet aliquid, quod agendum eſt, non ſolum docere, ut inſtruat, & delectare, ut teneat; verum etiam flectere, ut vincat. Ipſe quippe jam remanet ad conſenſionem flectendus eloquentiæ granditate, in quo id non egit uſque ad ejus confeſſionem demonſtrata veritas, adjuncta etiam ſuavitate dictionis*. Antea vero docuerat * flecti auditorem: *Si amet, quod polliceris, timeat, quod minaris, oderit, quod arguis, quod commendas, amplectatur, quod dolendum exaggeras, doleat, cum quid lætandum prædicas, gaudeat, miſereatur eorum, quos miſerandos ante oculos dicendo, conſtituis, fugiat eos, quos cavendos terrendo proponis,*

*&

* *Ibid. cap. 13.*

* *Cap. 12.*

& quidquid aliud grandi eloquentia fieri poteſt ad commovendos animos auditorum, non quid agendum ſit, ut ſciant; ſed, ut agant, quod agendum eſſe jam ſciunt. Hoc ex Tullio, certaque ratione deductum, ſi advertiſſet Barbeyracius, tam iniquum de eloquentia Patrum non tuliſſet judicium. Equidem Grotius, Pufendorfius, aliique, quos Barbeyracius tanti facit, non declamant, non rhetoricantur. At ne id eos quidem facere par erat. Hi enim verius philoſophantur, nec aliud intendunt, quam intellectui veritatem proponere, & civilem vitam, & politicam adjuvare, & excolere. Unde in quieto tantum, & ſubtili ſcribendi genere ponere operam debuerunt ſuam. Contra vero Eccleſiæ Doctores ad populum fere ſemper conciones habebant, idque omnino aſſequi curabant, ut apud quos dicerent, illi *non auditores tantum verbi* eſſent, *ſed factores* *; atque adeo ſuaviter animum oppugnare, voluntatem flectere, blanditiis allicere, terroribus quatere inſtituebant; quod agitata, vividaque oratione facilius obtinetur. Quamobrem in utroque genere laborarunt, ut & ſubtiles eſſent tractatores, & Oratores vehementes, & copioſi. Præterea, ideo Patres copioſe, ornateque ſcribunt, ut nempe facilius veritatem

* *Jacob.* 1.

tem

Digitized by Google

tem inſtillent, quæ ab indoctis, & imperitis vix poſt crebras repetitiones, & circuitiones excipi ſolet. Cæterum magnis illis, & excellentibus viris parvæ etiam res perſæpe grandeſcunt: quidquid ad Deum ullo modo refertur, tanta id luce circumfuſum vident, tantaque dignitate præditum, ut veluti ſummum, ac pene infinitum, ne exhaurire quidem, vel copioſiſſima oratione ſe poſſe putent, nec ullis verbis inſidentem animo imaginem adumbrare. Quamquam Auguſtinus prohibet *, ne ea, quæ ſacer Orator pertractat, qualiacumque ſint, tenuia, & parva dicantur, & eumdem docet, omnino ſemper in grandi materia verſari, quandoquidem omnia, maxime, quæ de loco ſuperiore populis dicuntur, ad hominum ſalutem, nec temporariam, ſed æternam referuntur, ubi etiam cavendus eſt æternus interitus, atque adeo omnia magna ſunt, quæ dicuntur. Grandia autem, et ſumma, ſi grandi, et ſublimi dicantur oratione, eſt cuique rei ſuum tribuere, quod equidem ſapientis Viri eſt.

* *Ibid. cap.* 17.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IX.

Si quid eloquendo interdum peccant, nihil inde Patribus detrahitur. Vitio in ſcribendo nec ii carere oſtenduntur, qui laudantur a Barbeyracio.

AT ineptiunt quandoque Patres declamando: hyperbolis ludunt, & nugantur, inflatam, & turgidam etiam aliquando uſurpant orationem. Quid igitur? Patres ſuſpicimus, & colimus: eorum eloquentem ſapientiam celebramus; divinos autem eſſe omnino non dicimus. Quamobrem audi, Barbeyraci, quo loco eximios Eccleſiæ Doctores conſtituam: eorum me lectio permultum allicit, eruditio inſtruit, eloquentia mulcet, ſermonis urbanitas trahit, eoſdemque ſummo amore complector; ſed perinde, ac amicis id eis indulgendum arbitror, ut etiamſi quidquam minus concinne, & robuſte dixerint, non me ab eis avertam, non conſuetudinem abrumpam, amicitiæ jura non violem: eximium illud Pythagoræ inſtitutum teneo *:

Μηδ' ἔχθαιρε φίλον σὸν ἁμαρτάδος εἵνεκα μικρῆς

ideſt:

Neque amicum propter exiguum peccatum oderis.

* *Aurea Car.*

Si tam obliquo oculo libros Patrum limaremus, cum vix ullus ſit auctor, tam abſolutus, & perfectus (ſi divino Spiritu afflatos excipias) apud quem non aliquid, non omnino ſummum reperiatur, ne dum Patribus erit valedicendum; ſed omnibus Scriptoribus, atque ita, & Grotio, & Pufendorfio, Barbeyracio longe cariſſimis, in quibus, nec ita leves, nec raras labes cenſores etiam mitiſſimi animadvertunt. Et vero, quis poema longiſſimum, egregieque concinnatum faſtidiret, ſi quid forte in numeris peccatum eſſet; vel quis Solem ineptum ad illuminandum ſtatueret, quod maculis quibuſdam, quaſi nævis, inficiatur? Non igitur expectandum eſt, ut nihil afferant Patres, niſi elaboratiſſimum, & limitatiſſimum; præſertim in tanta ſcribendi, dicendique frequentia: *Nemo ſecum reputat*, inquit de iis, qui vel ſummorum Oratorum vitia carpunt, Chryſoſtomus *, *aut incidentem mœrorem, aut anguſtiam animi, vel ſollicitudinem, vel perſæpe iram, mentis aciem tenebris offudiſſe, neque ſiviſſe ſenſa ejus pura, ſinceraque prodire, atque homo cum ſit, non poſſe ſemper eum ipſum eſſe, neque in omnibus proſpere agere; ſed, quod fieri ſolet, accidere, ut nonnumquam labatur, ac minora, quam pro ſolita virtute exhibeat. Nihil horum, ut dixi, cogitare* vo-

* *Lib. 5. de Sacerd. cap. 8.*

volunt, ſed ac, ſi de Angelo, judicium ferrent; ita ipſum redarguunt. Deinde, ſi quid peccant in eloquentia, id vel ætatis, vel regionis vitium eſt. In Aſia vitioſa quædam abundantia regnare conſueverat, quod vel Tullius animadvertit*. Chryſoſtomi ævo troporum, & ſimilitudinum redundantiam Populus depoſcebat. Solertis ergo Oratoris erat auditorum ingenium explorare, & per illa placere, quæ aliis non ita valde placent. Quare, ſi quid exceſſit hac in re Chryſoſtomus, id vitio ævi potius, quam Chryſoſtomo adſcribas, ut monet celeberrimus Montfauconius*. Ut enim, cum loquimur, uti verbis debemus, quibus intelligamur; ita, cum eloquentiam adhibemus, eos par eſt ornatus arceſſere, quibus auditores conciliare poſſimus, ut, quæ audiunt, adprobent, &, quæ adprobaverint, perſequantur. Neque inde Patrum vel minimum auctoritas læditur, & exiſtimatio; non enim in quovis Scriptore ſingula verba tam penſiculate licet accipere; ſed ex ſenſu, totaque ſerie, & compage oratio ſpectanda eſt, ut non ex ſingulis ſpicis; ſed ex colligatis, confertiſque manipulis feracitas agri cognoſcitur: neque ex una domo de Civitate tota judicatur: neque ex uno tantùm membro totius corporis ſpecies, & de-

* *De optimo genere Orat.*

* *Præfat. ad Opera Chryſoſt. Tom. I.*

cor exiſtit. Cæterum haud ſcio, an quos tantopere laudat Barbeyracius, tam commode ſcribant, ut omnem evadant reprehenſionem. Profecto Grotius perobſcurus eſt, & optimo indiget Interprete, ipſeque Barbeyracius commentariis perpetuis libros *de jure Belli*, & *Pacis* illuſtravit. Germani, ſi latine ſcribant, duriuſculam uſurpant orationem, inflatam, & obſcuram: ſi quis apparet lepos, hic plerumque adſcitus, non nativus eſt. Mollius, & ſuavius, ut loquuntur, ſic Itali ſcribunt. Pufendorfium vero, neque accuratum in ſcribendo, nec comptum, ſed incultum, & horridum fuiſſe ipſe Barbeyracius teſtatur, nec levem exinde ei exhibitam moleſtiam, dum eumdem e latino gallicum faceret, & mitigare barbariem conaretur. *Son ſtile* inquit *, *eſt non ſeulement dur, & quelquefois barbare; mais encore plein de négligences, & tantôt trop concis, tantôt chargé de ſuperfluitez. Il y a même laiſſé gliſſer quelquefois des inadvertences, qui lui ſont dire tout le contraire de ce, qu' il penſe. Il donne ſouvent à gauche dans l' explication des paſſages grecs, qu' il rapporte, & quelquefois même des latins; ou bien il en fait une fauſſe application, pour n' avoir pas aſſez conſideré la ſuite du diſcours, ou parcequ' il ne les tient pas de la premiere main, comme je l'ai ſou-*

* Preface chap. 33.

ſouvent reconnu par des preuves inconteſtables. Il n' exprime pas toûjours exactement la penſée des Auteurs dont il rapporte les opinions, & quelquefois il y mêle ſes propres penſées ſans les diſtinguer. Hunc tamen cum aliis recentioribus antiquis Eccleſiæ Patribus longe præponit Barbeyracius. At, ſi illorum in ſcribendo rationem accuſat, exagitatque auctoritatem, nec hi tantopere extolli debuerunt, quos eodem vitio multo magis laboraſſe vel ipſe fatetur. Et in hanc quidem rem multa adjungi poſſent; verum quia a detrahendo ſumus alieni, maluſque optimos tueri, quam accuſare minus perfectos, libenter ea prætermittimus.

CAPUT X.

Si quid exaggeratius aliquando dicunt Patres, non inde quid peccare in docendo credendi ſunt.

QUod ſi Patres exaggeratius dicere aliquando videntur, nihil omnino commoveor. Etenim *aliud eſt quærere, aliud definire: in altero pugnandum, in altero docendum eſt .... Aliud eſt docere diſcipulum, aliud adverſarium vincere*, inquit Hieronymus *. Aliter benevolum

* *Ep. 48. ad Pammach. Ed. Valarſ.*

inſtituimus; aliter in hoſtem incurrimus, dum, quaſi per vim aſſenſum extorquemus: illum dulci, blandoque rore verborum conſpergimus; hunc ingenti copia verborum, & figurarum opprimere quærimus. Sæpe autem Patres in pertinaciſſimos adverſarios cogebantur irruere, qui niſi vim perſenſiſſent, de victoria gloriabantur. His propterea invidiam conflare, eoſdemque in contemptum, & odium adducere oportebat, ut, detracto Doctoris nomine, ſimplicioribus fucum minime facerent. Hoc autem exaggeratorio ſermone, & hyperbolis aptiſſime efficitur. Ipſe Hieronymus Joviniano virginitatem, & nuptias exæquanti reſpondens, ſic virginitatis gloriam prædicavit, ut ſit nonnullis viſus nuptiis detrahere; fregit tamen audaciam hæretici, damnatuſque fuit, ut idem teſtatur *. Reprehendentibus autem, quod fuiſſet nimius vel in laude virginum, vel in ſuggillatione nuptiarum, reſpondit *: prudentem, & benignum lectorem non ſingulas ſententias debere penſare, ſed cum tota oratione conferre, & ea etiam, quæ videntur dura, de cæteris æſtimare: neminem enim tam eſſe hebetem, & ſic in ſcribendo rudem, ut idem laudet, & damnet, ædificata deſtruat, & deſtructa ædificet, & cum adverſarium vicerit, ſuo

* *Ibid. ad Pammachium.*

* *Ibid.*

ſuo noviſſime mucrone feriatur: cæterum, hanc eſſe omnium conſuetudinem, ne dum Rhetorum, ſed & Philoſophorum, ut dicendo occulta quadam vi ſe ſe intromittant, & aliud verbis præferant, aliud ſenſu retineant. *Quid in illis apertum*, ait, *quid ſimplex eſt? Quæ verba non ſenſuum? Qui ſenſus non victoriæ?* Quid plura? ipſa Scriptura, præſtantiſſima Doctorum magiſtra plurima habet exaggeratorio ſermone dicta. Multa hujus generis in Canticis, in Jobo; in Prophetis vero creberrima inveniuntur, ut Patres, & Interpretes paſſim docent. Denique Apoſtolus Paullus hoc eodem gladio dimicavit, quod præ cæteris Hieronymus ipſe perſpexit *, qui ait: *Paullum Apoſtolum proferam, quem, quotieſcumque lego videor mihi non verba audire; ſed tonitrua. Legite epiſtolas ejus, & maxime ad Romanos, ad Galatas, ad Epheſios, in quibus totus in certamine poſitus eſt, & videbitis eum in teſtimoniis, quæ ſumit de Veteri Teſtamento, quam artifex, quam prudens, quam diſſimulator ſit ejus, quod agit. Videntur quidem verba ſimplicia, & quaſi innocentis hominis, ac ruſticani, & qui nec facere, nec declinare noverit inſidias; ſed quocumque reſpexeris, fulmina ſunt. Hæret in cauſa, capit omne, quod tetigerit; tergum vertit, ut ſuperet: fugam ſimulat, ut occidat. Ca-*

* *Ibid.*

lumniemur ergo illum, atque dicamus ei: Teſtimonia, quibus contra Judæos, vel cæteras hæreſes uſus es, aliter in ſuis locis, aliter in tuis epiſtolis ſonant. Videmus exempla captiva ſervire tibi ad victoriam, quæ ſuis in voluminibus non dimicant. Quorſum igitur dicunt, veritatem ab eloquentiæ cultu irretiri, & verborum multitudine implicari? Quid ibi tenebras fingimus, ubi lumen eſt? Quid errores timemus, & anguſtias, ubi ampla eſt, & ſpatioſa ſemita, quam vel ipſe Apoſtolus peragravit?

CAPUT XI.

Quam eſſent cauti Patres exaggerando, ne quid eriperent veritati, pluribus oſtenditur exemplis: idque præſtitere, quod Joannes Clericus requirit.

QUamobrem finem faciant aliquando eloquentiæ Patrum obtrectatores calumniari. Deſinat Barbeyracius de Patribus conqueri, quod, ut ornatam exhiberent Orationem, veritatem eripuerint, aut ſaltem magna ex parte corruperint. Qua quidem in re æquiorem multo habemus Jo: Clericum, cujus eruditione, & doctrina valde ſe locupletavit Barbeyracius. Ille enim, & ſi hoc nitatur,

Digitized by Google

tur, ut probet, per figuratam orationem veritatem aliquantum obvolvi, & tegi *; tamen neceſſariam eſſe vult, ne inſulſa veritas ſit, & moleſta, cum eam ſæpe immoti audiamus, niſi ita deſcribatur, ut aliunde petitis ornamentis, in nobis commoveantur adfectus. Idque porro ſe unum exigere affirmat, ut ſimpliciter, quod volumus, aliquando efferamus, non perpetua quadam declamatione utamur, ne id obſit perſpicuitati: cæterum ſe opportunum credere, poſtquam Orator, aut Scriptor rem ſine figuris, ac ornamentis clare expoſuit, ut merito ſe a lectoribus, vel auditoribus intellectum exiſtimare queat; ſi putet eos non ſatis commoveri ſimplici ſermone, tum demum artem rhetoricam adhibere. Bene habet. Si ergo oſtenderimus, id prudenter Patres effeciſſe, ut, cum timerent, ne figurarum, & declamationum pondere opprimeretur veritas, verbis perſpicuis, & ſimplicibus prius docuerint, quid agerent, quantumve rei, de qua agerent, eſſet tribuendum, vel detrahendum contrariæ, & intra quos limites argumentum, quod tractarent, contineretur, quid adhuc Patrum eloquentiam accuſabimus, ceu quamdam veritatis æruginem, & labem perſpicuitatis? Sunt autem nobis plurima in hac re præſto exempla, quorum aliqua promemus.

Hie-

* *Art Critica part. 2. ſect. 1. cap 16., & 17.*

Hieronymus de virginitate contra Helvidium magnifica dicturus, monuit primum, ſe nuptias minime damnare. Idem fecit in libris contra Jovinianum. Priuſquam enim ad laudes virginitatis deveniret, quibus conjugii meritum diminui videri poterat, *non ignoramus*, inquit *, *honorabiles nuptias, & thorum immaculatum* * : *Legimus primam Dei ſententiam* * : *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram. Sed ita nuptias recipimus, ut virginitatem, quæ de nuptiis naſcitur, præferamus. Numquid argentum non erit argentum, ſi aurum argento pretioſius eſt?* Hæc cum præmiſerit, verendum ne ei adhuc erat, ne inferre injuriam nuptiis videretur, neve adhuc obſcurum eſſet, quo loco, & gradu eas poneret? Atqui hanc cautionem * habuit etiam in libro ad Euſtochium *de cuſtodia virginitatis*, ne ad pravum ſenſum eximiæ laudes virginitatis, quas ibidem pingit, inflecterentur. Imitari enim voluit Hieronymus magiſtrum ſuum, Gregorium Nazianzenum, qui laudibus ſummis virginitatem cumulans, verbis minime æquivocis; ſed claris, & apertis ſæpe profeſſus eſt, ſe nuptiis nullam imponere turpitudinis labem; ſed gradu tantum præſtantiori virginitatem collocare. Si orationem trigeſimam primam ejuſdem Doctoris perlegas, eloquentem

illam

* *Lib.* 1. *cap.* 3.

* *Ad Heb.* 13.

* *Gen.* 1.

* *Cap.* 2.

illam quidem, & ornatam, an non laudibus virginitatis videbis adjunctam verbis perſpicuis etiam nuptiarum honeſtatem? Inquit enim: *Bonum eſt matrimonium; ſed quod virginitate præſtantius ſit, dicere non poſſum. Neque enim magnum aliquid eſſet virginitas, niſi re aliqua bona melior, & præclarior eſſet.* Quid eſſe lucidius his verbis poteſt? An erat ei dubitandum, ut non ſatis intellectus exiſtimaretur? Sed quid miramur, ita prudenter locutum Gregorium, dum Oratorem ageret, qui ne poeticæ quidem licentiæ indulſit, ut, niſi hac poſita circumſpectione, numeris luderet. Id præſtitit in Carmine illo egregio de laudibus virginitatis: tum in exhortatione ad Virgines, in qua canit;

Αἰνείσθω σοί καὶ γάμος, πρὸ γάμȣ δ' ἀφθορία:

ſcilicet

Sit tibi laudi conjugium; ſed præ conjugio virginitas.

Sed ad Hieronymum, a quo digreſſi ſumus, revertamur. Hic enim, cum Monogamiæ præſtantiam commendaret, ſecundas, & tertias nuptias non eſſe vetitas, nec ulla labe pollutas aperte docuit. Id effecit in limine diſputationis contra Jovinianum*: nec id prætermiſit in epi- * Lib. 1.
ſtola ad Salvinam, quam a ſecundis nuptiis dehortatur. Nec eum oblivio cepit,

tali

tali uti cautione in eleganti ad Ageruchiam epiſtola, in qua idem argumentum diſerte terens, in viduitatis præconio ſecundas nuptias honore ſic afficit verbis nullo modo ſuſpicioſis, & implexis: *Quid igitur?* inquit, *damnamus ſecunda matrimonia? minime. Sed prima laudamus. Abjicimus de Eccleſia Digamos? abſit. Sed Monogamos ad continentiam provocamus.* Hoc ſibi ſtructo propugnaculo, an non ſecurius poterat loqui? An debuit timere, ne declamationum involucris obtegeretur veritas, neve latum, ut dicitur, unguem ab ea recedere videretur? Et demum abſtinentiam ciborum prædicaturus, Creatorem in operibus ſuis venerari ſe dicit in altero contra Jovinianum libro*, longeque a Tatiani, Marcionis, aliorumque hæreticorum inſania abhorrere, qui ad Dei opera deſtruenda, contemnenda, & abominanda perpetuam indicunt abſtinentiam. Hinc, ut prudenter in eodem argumento incederet cum Apoſtolo* clamat in epiſtola ad Salvinam: *omnis creatura Dei bona eſt, & nihil rejiciendum*. Cum autem aliorum Patrum exempla profero, an tui potero oblivisci, Auguſtine, qui, cum ſcriberes, non minus accurate ab omni te erroris labe tuebaris, falſitatiſque caligine, quam, qui pretioſis ornati veſtibus via lutulen-

ta

* *ſ. 6., & 16.*

* 1. *Tim.* 3.

ta coguntur incedere? Cum enim de conjugii bono diſſereres *, nuptaſque ſolareris, curaſti diligenter, ne virginitatis præſtantiæ quidquam auferres. Contra, cum virginitatem laudares *, quam cautus viator inceſſiſti, ne ſibi quidquam arrogarent Manichæi, qui contumeliam nuptiis faciunt? Rurſus, cum viduitatis bonum in cœlum efferres laudibus *, non te fugit, ſecundas nuptias a Novatianorum, Cataphrygarum, aliorumque hæreticorum calumniis vindicare: unde, & aperte ad eam *, quam alloquebaris, viduam dixiſti: *oportet, ut noveris, bono, quod elegiſti, non damnari ſecundas nuptias; ſed inferius honorari. Nam, ſicut bonum ſanctæ virginitatis, quod elegit filia tua, non damnat unas nuptias tuas; ſic nec viduitas tua cujuſquam ſecundas &c.* Sed quid Cyprianus? Quid Chryſoſtomus? Nam ille latinæ, hic græcæ inter Patres eloquentiæ principatum tenet. Nonne eloquentiæ habenas remittunt ipſi, & cum opus eſt, adducunt, & cohibent? Certe etſi tanto in virginitatem ſtudio inflammatus eſſet Cyprianus; nullam tamen ad eam colendam neceſſitatem eſſe palam declaravit: *Nec hoc jubet Dominus*, inquiens, * *ſed hortatur: nec jugum neceſſitatis imponit, quando maneat voluntatis arbitrium liberum.* Atque e virginitatis laudibus nos præcipue

* *Lib. de bono Conjugii cap. 11.*

* *Lib. de Sancta virginitate cap. 17., & ſeqq.*

* *Lib. de bono viduit cap. 4., & ſeq.*

* *Erat Juliana Vidua.*

* *Lib. de hab tu Virginum.*

pue exempla mutuamur, quod in ea celebranda Patres fuiſſe intemperantiores, quam par eſſet, dictitet Barbeyracius. Sed jam ad Chryſoſtomum. Hic ubicumque ſe dat occaſio, Manichæos frangit, qui nuptias accuſabant, licet ſummis laudibus virginitatem excipiat. In limine vero eximii libri, quem *de virginitate* contexuit, totus eſt, ut eam Manichæorum inſaniam eliminet, evincatque maculari virginitatis gloriam, ſi quid honeſtatis, & boni nuptiis adimatur. Adhortans autem, ne conjugium iteretur, ſic caute monet*: *Ne quis igitur, quæ modo dicturus ſum, in eam partem accipiat, quaſi eas, quæ matrimonio ſe jungunt, reprehendam, ac criminer. Summæ enim arrogantiæ, ac furoris fuerit, quas non caſtigavit Beatus ille* (nempe Apoſtolus), *ſed quibus pepercit, has contra a nobis condemnari*. Pariter ebrietati bellum ſæpe indicens, ne veritatis clavum videretur abjicere, & vinum, ceu rem malam accuſare, ut Manichæi faciebant, non ſe ſubſtantiam vini, moderatumque hauſtum; ſed intemperantiam damnare prudentiſſime admonuit, ut, cum contra ebrioſos declamaturus, inquit: * *Abſtineamus ab ebrietate: non dico abſtineamus a vino; ſed, ab ebrietate abſtineamus, non vinum efficit ebrietatem: eſt enim Dei creatura. Dei porro creatura nihil*

* *Lib. de non iterando conjugio.*

* *Hom. adverſus ebrioſos, & de Reſur.*

effi-

efficit mali ; ſed voluntas maligna efficit ebrietatem. Divitias autem, ceu fluxas, infidaſque ſæpe traducens, ne cum injuria Dei largitoris id dictum quis interpretaretur, omnem ſuſpicionem, & umbram falſitatis pluries propulſavit, ut cum inquit *. *Sicut non mala res vinum ; ſed mala ebrietas ; ita non mala res divitiæ, ſed mala avaritia, mala cupiditas. Aliud avarus, aliud dives ec.* Conſimilia habet in ſermone *de inſcriptione Altaris*, & alibi ſæpiſſime. Alia permulta nobis ſuccurrunt exempla, quæ afferremus, niſi & ſatietati mederi cuperemus legentium, nec ſatis eſſent multa, quæ attulimus. Quid ergo eſt jam, quod loqueris, Barbeyraci ? Vides, ut caute Patres ad declamandum acceſſerint ? Utque illud anteverterint, quod ab Oratore requirit ille tuus Jo: Clericus, quem tibi ad accuſandos Patres præferre facem voluiſti ? Emergit itaque, emergit e flumine eloquentiæ Patrum veritas, non ornamentorum foliis ſuffocatur, non verborum illecebris capta a recto tramite deflectit ; ſed via regia graditur, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram declinans, fulgetque tenebris undequaque pulſis, ut illud Solonis * congruere poſſit :

* *Hom. 2. ad Popol. Antioch.*

* *Senten. elegiac.*

Λάμπει δ' ἠελίοιο μένος κατα πίονα γαῖαν
Καλον', ἀταρ νεφέων ὐδὲν ἔτ' ἐστὶν ἰδεῖν :

Ideſt :

Ideſt:

Relucet autem vis Solis per terram opimam
Pulchra; nubium vero nihil ſupereſt reliqui.

CAPUT XII.

Eloquentia a Patribus non eſt ſemper adhibita, vel certe non ejus generis fuit, ſicut dictitat Barbeyracius.

QUamquam non erat neceſſe, tot digladiari argumentis ad Patrum eloquentiam vindicandam. Nam hæc non tanta perſæpe fuit, nec tam multis pigmentis delibuta, nec tot floribus circumſepta, quemadmodum dictitat Barbeyracius, ut tantam requireret diſceptationem. Non apud eos plautina ſemper eloquentia, non atticus lepos, & Muſarum, ut dicunt, eloquio comparandus. Potius enim aliquando a faſtidioſo quoppiam, & delicato major eſt deſideranda, quam affluentior reprehendenda; in quo tamen excelluiſſe videntur, quod populo, cum quo res erat, potius prodeſſe ſtuduerint, quam ſibi per nimium eloquentiæ ſplendorem gloriam parere. Equidem Tertullianus, ut ingenio, inventione, nervoque argumentandi, & omnis generis litterarum peritia maxime præſtat; ita in eo lepos deſideratur. *E-*

lo-

Digitized by Google

loquendo parum facilis, *& minus comptus* a Lactantio dicitur *. Cyprianus vero, cum nondum chriſtianæ Religioni nomen dediſſet, ſpumeo verborum ambitu delectatus eſt, ejuſque aliquid adſperſit in epiſtola ad Donatum, quemadmodum admirator ejus Auguſtinus animadvertit; * ſed ejus linguam verboſiorem doctrinæ Chriſtianæ ſanitas ab iſta redundantia revocavit, & ad eloquentiam graviorem, modeſtioremque reſtrinxit, ut ibidem docet Auguſtinus, *qualis*, inquiens, *in ejus conſequentibus litteris ſecure amatur*, *religioſe appetitur*, *ſed difficillime impletur* . . . *Quapropter iſte Vir Sanctus*, *& poſſe ſe oſtendit*, *ſic dicere*, *quia dixit alicubi*, *& nolle*, *quoniam poſtmodum nunquam*. Nec Origenes multas ſcribendo veneres ſecutus videtur: quippe Hieronymus in Jeremiam, & Ezechielem homilias ejuſdem octo, & viginti e græco transferens in latinum, id ſe curaſſe docet *, ut, omni rhetoricæ artis ſplendore contempto, ſimplicitatem ſermonis in transferendo retineret. Quare & Hieronymus idem imitatorem ſe ejus exhibuit: hinc & ſubdit: *Res quippe volumus*, *non verba laudare*. Et vero, ſi quis commentarios Hieronymi, quos in Sacras Litteras copioſos ſane, & eruditos edidit, lectitare voluerit, perſpicuos, & planos deprehendet,

* *Lib. 5. Div Inſt. cap. 1.*

* *Lib. 4. de Doctr. Chriſt. cap. 14.*

* *Prolog. ad Tranſlat.*

& potius in verborum ſiccitate robuſtos, quam in nimia copia luxuriantes. At, ſe *rhetoricatum eſſe*, & *in morem Declamatorum paullulum luſiſſe*, affirmat in libro contra Helvidium ad calcem, ut ſupra Barbeyracius objiciebat. Quid inde? Hoc, cum vel ipſe notaverit, ſatis indicavit, ſe ab ornatibus ſuperfluis inquirendis alienum eſſe, idque præter morem contigiſſe: & quaſi monere lectorem voluiſſe, ut, ſi quid novum, & inuſitatum offenderet, ne miraretur. Certe hujus libri initio profitetur, ſe non campum rhetorici eloquii deſiderare, nec Ariſtotelis ſpineta conquirere; ſed ipſa Scripturarum verba ponere conſtituiſſe. Poſtmodum tamen, ora ſoluta, ingenii, ſapientiæque ſuæ ſpirantibus ventis, quaſi promiſſionis oblitus, in altum eloquentiæ pelagus diſputationem adduxit, ut intelligi poſſit, *ſapientiam de domo ſua, ideſt pectore ſapientis procedere*, & *tamquam inſeparabilem famulam, etiam non vocatam ſequi eloquentiam*, ut præclare docet Auguſtinus*. Fortaſſe etiam eo libentius eloquentiæ vela explicavit Hieronymus, quod Helvidius, ut idem ipſe Sanctus Doctor teſtificatur, * loquacem quamdam facundiam affectaſſet: atque adeo putavit Hieronymus, e re eſſe, arbori de foliorum infœcunditate glorianti ſecurim admovere, vera-

* *Lib.* 4. *de Doctr. Chriſt. c.* 6.

* §. 1.

veraque eloquentia infructuoſam ſuccidere, ut aliquando diſceret reticere, qui nunquam loqui didicerat. Cæterum Hieronymus ſanctam ruſticitatem in rebus divinis tractandis lepidiori orationi prætulit. Nepotianum ſuum ſic hortatur *: *lacrymæ auditorum laudes tuæ ſint. Sermo Presbyteri Scripturarum lectione conditus ſit. Nolo, te declamatorem eſſe, & rabulam, garrulumque ſine ratione; ſed myſteriorum peritum, & Sacramentorum Dei tui erudititiſſimum. Verba volvere, & celeritate dicendi apud imperitum vulgus admirationem ſui facere, indoctorum hominum eſt ... Nihil tam facile, quam vilem plebeculam, & indoctam concionem linguæ volubilitate decipere, quæ, quidquid non intelligit, plus miratur.* In epiſtola ad Damaſum, *de Seraphim*, & *calculo* inſcripta *, ſuam ruſticitatem vera dicentem diſertiori aliorum eloquio præponit. In altera ad eundem Pontificem, *de duobus filiis* inſcripta * pro *ſiliquis porcorum*, a Luca * commemoratis accipit carmina Poetarum gentilium, ſapientiam ſæcularem, & rhetoricorum pompam verborum. Procemio autem in Danielem Prophetam ad Pammachium, & Marcellam, ſe ægre admodum ſæculares litteras commemorare profitetur: *Si quando*, inquit, *cogimur litterarum ſæcularium recordari, & aliqua ex his dicere,*

* Epiſt. 52. §. 8.

* Epiſt. 18.

* Epiſt. 21.

* Cap. 15.

Digitized by Google

quæ olim omiſimus, non noſtræ eſt voluntatis; ſed, ut ita dicam, graviſſimæ neceſſitatis. Et Procœmio commentariorum libri tertii in epiſtolam ad Galatas, Paullam, & Euſtochium alloquens, inquit: *Omnem ſermonis elegantiam, & latini eloquii venuſtatem ſtridor lectionis hebraicæ ſordidavit. Noſtis enim, & ipſæ, quod plus, quam quindecim anni ſunt, ex quo in manus meas nunquam Tullius, nunquam Maro, nunquam gentilium litterarum quilibet auctor aſcendit, & ſi quid forte inde, dum loquimur, obrepit, quaſi antiqui per nebulam ſomni recordamur,* & paullo poſt: *Officii mei eſt,* ait, *obſcura diſſerere, manifeſta perſtringere, in dubiis immorari... Si quis eloquentiam quærit, vel declamationibus delectatur, habet in utraque lingua Demoſthenem, & Tullium, Polemonem, & Quintilianum.* Inflavit tamen aliquando Hieronymus paullo vehementius, id non inficior equidem; ſed id ſummæ laudi ducendum eſt. Nam, cum de grandiori materia tractabat, aut hæreticos exagitabat, majori tunc vi congrediebatur, idque efficiebat, ut rerum magnarum dignitas latius eluceſceret, & adverſariorum temeritas ignitis eloquentiæ jaculis conficeretur. Hinc grandior apparet eloquentia in libris contra Jovinianum, contra Vigilantium, & contra Helvidium, in libro ad

Eu-

Digitized by Google

Euſtochium *de cuſtodia virginitatis*, in epiſtola ad Heliodorum, & in aliis nonnullis epiſtolis. Hæc quippe opera non ab imperitis teri, ſed ab intelligentioribus debebant, qui & florentiorem ſermonem percipere poterant, imo, & requirebant. Sed, ſi quid imperitæ multitudini parat Hieronymus, urbanum illud, & copioſum ſcribendi genus abigit, quantum poteſt, & lentiorem ſe, tenuioremque efficit. Id liquet in vita Sancti Paulli Eremitæ, in qua condenda relaxare, & remittere orationem pro viribus ſtuduit, ipſeque teſtatur ad Paullum Concordienſem ſcribens: *Miſimus*, inquit, * *te tibi, ideſt Paullo ſeni Paullum ſeniorem, in quo propter ſimpliciores quoſque multum in dejiciendo ſermone laboravimus*. Vide hominem, non ſua, ſed, quæ Chriſti ſunt, quærentem: vide Doctorem, qui indoctis, & inſipientibus debitorem ſe putans, plus rudiorum utilitati proſpexerit, quam ſui nominis celebritati, quique maluerit eſſe fidelis Myſteriorum Dei diſpenſator, quam Orator ſplendidus. Plura fortaſſe diximus de Hieronymo, quam eſſet neceſſarium, ſed noſtrum in Hieronymum ſtudium, & reverentia prolixiorem elicuit reſponſionem. Jam Auguſtinus inanem, & fucatam orationem, cum primum ſe ſe Chriſto addixit, odit ſemper,

* *Epiſt. 10.*

& execratus eſt. In ſermonibus ad Populum abjectior eſt, & ſimplicior, & mavult a Grammaticis reprehendi, quam ab indoctis non intelligi. In libro quarto *de doctrina Chriſtiana* * totus eſt in hortando, ut ſapiens veritas ineptæ eloquentiæ anteferatur, præcipitque, ut barbaræ etiam voces dicantur, ſi neceſſariæ ſint, ut ambiguitas, obſcuritaſque vitetur: *Cur pietatis Doctorem*, inquit, *pigeat imperitis loquentem*, *oſſum potius*, *quam ós dicere*, *ne iſta ſyllaba*, *non ab eo*, *quod ſunt oſſa*; *ſed ab eo*, *quod ſunt ora*, *intelligatur*, *ubi afræ aures de correptione vocalium*, *vel productione non judicant? Quid enim prodeſt locutionis integritas*, *quam non ſequitur intellectus audientis?* Aliquando tamen elimatior, & cultior eſt, erigitque ſe paullo altius, dum hæreticos adoritur, præſertim Pelagianos, aut in libris de Civitate Dei, quod ejus opus præſtantiſſimum eſt. Namque hi libri ones ad doctiores pertinebant. Et demum Chryſoſtomus, cum ad Populum concionatur, dignitatem quidem rerum, majeſtatemque ſemper ſuſtinet; ſed ita tamen attenuat ſe ſe, ut ab imperitiſſimo quoque intelligatur. Si quid autem eruditioribus comparabat, multo largiori eloquio fluebat, & elaboratiori. Id apparet in libris de Sacerdotio, qui vere τῶ τε ὕψει,

* Cap. 10.

καὶ τῇ φράσει, καὶ τῇ λειότητι, καὶ κάλλει τῶν ὀνομάτων, ideſt *tum ſublimitate, & dictione, tum lenitate, & elegantia verborum* excellunt, quemadmodum Suidas animadvertit. Sed hos Baſilio inſcripſit, Raphaneæ in Syria Epiſcopo, aliiſque eccleſiaſticis, ſine ulla dubitatione eruditis, & doctis viris. Revera autem Chryſoſtomus ſe ſemper a plauſu, fauſtiſque acclamationibus, ab eloquentia percipiendis, alieniſſimum præbuit, quod ipſe perſæpe teſtatur, idque ſolum ſe curare inquiebat, ut auditores meliores evaderent; *Non eſt*, inquit, * *theatrum Eccleſia, ut ad delectationem audiamus ..... Quæ mihi horum plauſuum utilitas? Quæ laudum, & tumultuum? Laus mea eſt, ut vos omnia, quæ dicuntur, operibus exhibeatis.*

* *Hom. 2. ad popul. Antioch.*

CAPUT XIII.

Patres ineptam eloquentiam a ſe deprecantur, non gravem, et robuſtam, quæ mirifice excolendis moribus profuit.

SEd non hæc tamen ita accipi volumus, perinde ac ſapientem eloquentiam Patres ipſi improbarent. Ita enim loquebantur, ut a ſe inanem illam verborum pompam deprecarentur, quam

Digitized by Google

garruli quidam ſophiſtæ, leveſque declamatores gentiles præſeferebant, qualemque Patribus affingit Barbeyracius; non ut quemlibet honeſtum ornatum amandarent, qualem in ſacris litteris efflorere, ſupra diximus. Hinc & Clemens Alexandrinus formoſas dictiunculas, mollemque, & teneram orationem fugiendam eſſe docet*; nec ita tamen multo poſt dicit, elegantem orationem animum recreare, & deducere ad honeſtatem, & eſſe beatum, qui pro dextra utraque manu utitur. Quid ergo? ſibi ne pugnat? Minime. Sed ſolum vanam, & turgidam, non ſolidam, & ſapientem, & diſtrictam orationem abjicit. Quare Hieronymus quoque aliud eſſe eloquentem, aliud verboſum docet: *Stulta verboſitas*, inquit,* *rabulæ potius, et garruli hominis, quam eloquentia putanda eſt*. Itaque Patres inanem expungunt; ſapientem vero eloquentiam laudant, qua tamen non ſemper dimicarunt; ſed, cum ad Populorum, quos inſtituebant, utilitatem conduceret. Quod, cum facerent,(perſæpe autem fecerunt) incredibile dictu eſt, quam eſſent verbis grandes, ſententiis crebri, inventione faciles, perſpicacitate ſubtiles, ſermone robuſti, & quanta ex hac ſapienti ubertate, & facundia, nedum ad præſentes, quibuſcum loquebantur, ſed ad totam

quo-

* *Lib. I. Strom.*

* *Lib. I. contra Ruffinum §. 15.*

quoque Eccleſiam utilitas redundaverit. Teſtis ipſa eſt Eccleſia, quæ Patrum libros, eloquentia pictos, perpetuo terere ſolita fuit: horum dictis controverſias, & morales quæſtiones definivit: ipſorum ſententias in ſuas invexit leges: talibus armis pugnant ſacri Oratores, & e ſacris ſuggeſtibus declamant: his omnes utuntur ad excolendam religione, & pietate vitam, ad efferatos animos deliniendos, paſſioneſque effrænes cohibendas. Nam huic eloquentiæ non inepte quis illud Virgilii attribuat: *

Sceptra tenet, mollitque animos, & temperat iras.

* *Lib.* 1. *Æneid.*

Quod ſi deſtitutam voce orationem ita dominari animis, totque ferre fructus videmus, quid futurum putamus, ſi eoſdem ipſos perorantes, voce illa modo acuta, incitata, crebroque incidente, modo flexibili, plena, interrupta, & flebili, modo contenta, vehementi, imminenti quadam incitatione gravitatis, modo demum effuſa, leni, tenera, hilarata, remiſſaque pro argumentorum varietate audiremus? Si divinam quamdam eorum, toto corporis habitu emicantem dignitatem videremus? Si circumquaque nobis cœleſtis virtutis, qua abundabant., exempla clariſſima refulgerent? Certe Chryſoſtomus, cum florens omni genere virtutis; hac

tamen

tamen eſſet laude clariſſimus, illud pene omne a ſuis auditoribus per eloquentiæ vim expreſſit, quod intendit. Contra Chriſtianos, ritus Judaicos proſequentes, invectus eſt? Ulcus teterrimum ſanavit: *Pugna*, inquit ipſe; * *cum Judæis ſuſcepta, exitum, quem debuit, ſortita eſt. Trophæum nobis erectum eſt, & corona nobis parta eſt, & brabium ex ſuperiore concione reportavimus*. Hinc major ad eum audiendum multitudo confluxerat. Contra temere jurandi conſuetudinem, quæ totam Antiochenam Civitatem occupaverat, declamavit? Serpens malum profligavit: *pro eo, quod antea Deum jurabant*, inquit, * *jam nihil, niſi, eſt, non eſt, & crede mihi, circumferunt, idque in omni colloquio, adeo ut inter mille negotiorum neceſſitates ulterius progredi non ſuſtineant*. Et paullo poſt *: *Deprehendi, tantam eſſe ejus rei curam, ut, & domi, & in menſa viri cum mulieribus, ſervi cum ingenuis certamen de hujus præcepti obſervatione contendant*. Et hæc quidem, licet de ſuis concionibus dicat Chryſoſtomus ipſe; non eſt tamen, cur in ſuſpicionem aliquis adducat, cum ob incredibilem viri moderationem, & in veritatem amorem, tum, quod ad populum dicta, falſitatis palam coargui potuiſſent, ſi minus vera fuiſſent. Quantum vero divites ad erogandum pauperibus ſtipem provo-

caret

* *Hom. 5. contra Judaeos.*

* *Hom in Parab. Debit. §. 1.*

* *§. 2.*

caret Chryſoſtomus, id ex eo præcipue colligi poteſt, quod, ipſo in exilium deportato, ſe tali ſolatio, proventuque orbatos, pauperes ipſi conquererentur. Nec Auguſtinus dicendi laude, fructuque caruit. Nihil acute inveniri poteſt in iis rebus, quas ſcripſit, quod ille non viderit: nihil ſubtiliter dici, nihil preſſe, nihil enucleate, quo fieri poſſit aliquid limatius. Nihil contra grande, nihil incitatum, nihil ornatum, vel verborum gravitate, vel ſententiarum, quo quidquam eſſet elatius, ut verba Tullii de Demoſthene dicta * ad Auguſtinum revolvamus. Sit hoc ſolum ejus, quoad mores attinet, eloquentiæ exemplum. Cum apud Cæſaream Mauritaniæ immanis quædam conſuetudo inſediſſet, ut per aliquot dies continuos certo tempore anni ſolemniter manus confererent, & ne dum cives; verum etiam propinqui, fratres, & parentes, ac filii lapidibus inter ſe in duas partes diviſi dimicarent, & quiſque, ut quemque poterat, occideret; egit in concione Auguſtinus granditer, quantum potuit, ut tam crudele, atque inveteratum malum de cordibus, & moribus eorum avelleret, pelleretque dicendo *. Et, quæ erat hominis in dicendo vis, acclamationes primum elicuit, tum lacrymas expreſſit. Hinc deteſtari con-

* *Lib., qui dicitur Brutus cap. 9*

* *Vid. eumdem Auguſtin. lib. 4 de Doctrin. Chriſt. cap. 42.*

conſuetudinem illam pravam cœperunt, factumque eſt, ut deinceps a tanto ſcelere, hoſtilique furore abſtinerent. Qui vel unico tantum ſermone tantam ſegetem potuit metere virtutis, ut conſuetudinem a patribus, & avis, longeque a majoribus traditam, quæque pectora auditorum fortiter obſidebat, devinceret, & abrogaret, quid eſſe factum exiſtimabimus in tot aliis, & infinitis ſermonibus, quos ad populum habuit frequentiſſime? Sed & Hieronymus, æmulatione Dei incenſus, plures Chriſto exhibuit virgines caſtiſſimas: viduas etiam plures propoſitum tenere docuit: nec minus multos ad rerum terrenarum contemptum, & ad monaſticam vitam amplectendam induxit. Quas tamen tam magnas, tamque claras virtutes aut primum inſeruit, aut inſertas aluit eloquentia, qua omnes epiſtolæ ejus inflammantur. Hæc cum mecum reputo, volvoque animo diligenter, neſcio, an plus iis iraſcar, qui hanc tot bonorum cauſam, & quaſi ſolem, eloquentiam Mundo eripere conantur; an vero plus eos celebrem, qui in ea excolenda ſe ſe exercuerunt. Illud tamen non poſſum, non facere, quin illorum calamitatem doleam, qui e re tam fructuoſa, & frugifera, & nulla ejus parte inculta, & deſerta, nullam volunt utilita-

ſitatem percipere, atque appoſitas tanta arte, & labore cœleſtes, & divinas dapes negligunt, quibus illud Pythagoræ hic mihi habere locum videtur: *

* *Aurea Carmina*.

Γνώσῃ δ'ἀνθρώπους αὐθαίρετα πήματ' ἔχοντας.
Τλήμονες, οἵτ' ἀγαθῶν πέλας ὄντων οὐκ ἐσορῶσιν,
Οὔτε κλύουσι:

Ideſt:

Cognoſces quoque, homines ſpontanea mala habere.
Miſeri, qui bona, prope præſentia, neque inſpiciunt,
Neque audiunt!

Sed jam vela diſputationis hujus contrahenda ſunt: nam, dum breves eſſe putabamus, pacto neſcio quo, paullulum longiores fuimus. At ſic ſubito tanta nobis rerum extitit multitudo, ut, ne dum copia non eſſet provocanda; ſed ſuperfluitas circumcidenda, & amputanda.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XIV.

Eloquentiæ cauſa perorata, non finis imponitur diſputationi, idque ad avertendam graviſſimam contumeliam Patribus illatam a Barbeyracio.

ATque hic diſputationi finem imponere conſtitueram; ſed, cum forte exciderit dictum illud impudentiſſimum, quo Barbeyracius unum Grotium omnibus Patribus antepoſuit, ipſoſque, quaſi proletarios Doctores, nulliuſque momenti in morali doctrina edocenda traduxerit*, facere non poſſum, quin Patrum magiſterium ad moralem ſcientiam tradendam, a temeritate tanta, impudentiaque defendam, demonſtremque breviter, ne dum Grotium, Pufendorfium, alioſque hujus generis Scriptores recentes, in morum inſtitutione non eſſe Patribus anteponendos; ſed ne ullo quidem modo exequandos, aut comparandos. Nam hanc rem fuſiori tractatu perſequemur, cum totum Barbeyracii librum, ſi Deus dederit, refutabimus. Interea tamen, quis ita ſibi temperare poſſit, ut illam contumeliam, Patribus illatam, pacifice diſſimulet? Tu me ad certamen, Barbeyraci, provocas, & alieno etiam tempore, ut ſigna conferam,

ram, facis. Nam hæc tua, tam effrænis licentia, Patribus obtrectandi, non ad privatam tantum quorumdam ignominiam, & turpitudinem (quod tamen in viris tantis, tamque inſignibus eſſet graviſſimum); ſed ad ſummam Eccleſiæ totius, atque adeo ad omnium utilitatem, ſalutemque pertinet. Quid igitur intendis? ſcilicet unum Grotium omnibus Patribus præfers, Pufendorſium, alioſque hujus generis viros, longe excellentiores decernis in iis, quæ morum diſciplinam efficiunt. O labem teterrimam chriſtianæ Religioni inuſtam! Plus ne ergo ad mores temperandos attulit Pufendorſius, quam Auguſtinus? Plus Grotius Hieronymo? Imo plus juvit ad conformandos mores Plato, vel Ariſtoteles, vel Pythagoras, (nam & Gentiles in ea Patrum vituperatione in cœlum levat) quam Chryſoſtomus, Baſilius Magnus, & Gregorius itidem Magnus, aliique omnes, ad quorum doctrinam tota antiquitas, tamquam ad lapidem adhæreſcere conſuevit? Quaſi vero plus ſplendoris, & utilitatis contulerint Mundo, qui Philoſophiam tractaverint, quam, qui Theologiam, qui terrenas res, civileſque illuſtrarint, quam, qui divinas, æternaſque, plus demum, qui caducam hanc vitam commodius inſtituerint ducere, quam, qui ad immorta-

lem

Digitized by Google

lem exemplis, & verbis aditum fecerint. Nolumus equidem, & horum recentiorum laudibus quidquam detrahere, in iis certe, in quibus & cum recta ratione, & cum principiis revelatis conſentiunt. Habeant laudatores ſuos Grotius, & Puſendorfius: vel ipſe Barbeyracius cum eorum laudibus communicet: ingenium celebrent, eruditionem prædicent, doctrinam, ſi quam afferunt, religioni minime adverſam, extollant: neque enim tam miſeros meritis putamus Patres, ut ad eos laudandos, obtrectandum ſit alienis laudibus: nec tam tenui fulgent luce, ut, non niſi, his minoribus luminibus obtectis, lucere ipſi non poſſint. At cavere debent præcones hi, ne, dum recentes auctores nimio ſtudio proſequuntur, antiquiſſimos illos, & ſummos viros obnubilare velint, neque horum auctoritatem, quoquo modo comparandam cum illis, quod ipſi perſæpe faciunt, cenſeant, in quorum verba tota ſemper juravit Eccleſia. Quamobrem illud ego affirmo, nonniſi per ſummam impudentiam, vel etiam inſaniam, recentiorum auctoritatem cum ea Patrum exæquare, aut, quod majus eſt, anteponere in morum diſciplina quempiam poſſe.

CA-

CAPUT XV.

Patres egregii ſunt chriſtianorum morum Magiſtri, & præponuntur recentibus Juris Tractatoribus.

ID autem in hanc me opinionem trahit, ut putem, Patrum auctoritatem longiſſime præponendam eſſe, quod hi Auctores, qui nuper ſcripſerunt, quidquid afferunt, rationibus ſit dimetiendum, quippe nihil eſt aliud, cur, quod docent, amplectamur, niſi, quod ſit argumentatione deductum. Si quid etiam per Scripturas definiunt, hoc tantum habet ad faciendam fidem virium, quantum legitime ab iiſdem illatum videatur. Contra, qui in morum doctrina agnoſcenda Patrum magiſterio ſe dedat, non multum in ratione rerum inveſtiganda inſudare debet. Nam, etſi rationes multas, eaſque admodum probabiles in Patribus inveniat in iis etiam, quæ ad mores formandos attinent; tamen, detractis etiam rationibus, permultum ineſſe intelligit momenti in hoc ſolo, quod quippiam doceant. Primo, quod ſapientiſſimos fuiſſe nemo ſanæ mentis negat; ingenioſos, & acutos libri, quos ediderunt, produnt: veritatis ſtudioſiſſimos, eamque in ſcri-

Digitized by Google

bendo præ oculis habuiſſe, & ab omni decipiendi ſtudio alieniſſimos fuiſſe, res eorum geſtæ, ſumma in Deum religio, incredibiliſque fidei ardor declarant. Nihil ergo temere, nihil, quod non ex ſanctiſſima diſciplina eſſet, nihil, quod non cum veritate, & ratione conjunctum eſſet, conſignare litteris debuerunt. Et nos, cum intelligimus, quidpiam viſum eſſe ita Auguſtino, ſic probari ab Hieronymo, conſentire Ambroſium, Chryſoſtomum ita ſuadere, & alios plures in rem eamdem conſentire, tenere nos ullo modo non poſſumus, quin graviſſimi hujus, ſanctiſſimique Senatus ſuffragio aſſentiamur. Neque enim ſine multis, firmiſſimiſque rationibus ad id docendum accedere potuerunt. Quamquam, ne in hoc quidem præcipue confidimus. Illud nos plurimum movet: Patres, qui totis viribus aliorum ſaluti conſulebant, & omnem ætatem Eccleſiæ temporibus tranſmittendam putaverunt, nihil populo tradere voluiſſe, niſi quod ad Eccleſiæ ædificationem pertineret; neque novum aliquod moliri, ne novitate Populi ſcandalo afficerentur; ſed illud tantum, quod ad irrigandam Eccleſiam, ab Apoſtolis, veluti a fontibus, abunde manaverat, & per Epiſcopos, Apoſtolis ſuccedentes, ad ipſos pervenerat, docere voluiſſe. *Quis* enim,

ut

Digitized by Google

ut Chriſti verba uſurpemus* *Patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? Aut piſcem: nunquid pro piſce ſerpentem dabit illi? Aut, ſi petierit ovum: nunquid porriget illi ſcorpionem?* Neque enim ita immanes nobis, & importunos Eccleſiæ Doctores, quos, ceu Patres amantiſſimos ſemper ſuſpeximus, poſſumus confingere, ut, poſthabita veterum doctrina, quæ inſederat jam, & inveteraverat in Eccleſia, alias morum leges conderent, primaſque profana novitate macularent. Quis unquam ſibi perſuadeat, Auguſtinum ea voluiſſe deſerere, quæ in Africanis Eccleſiis, ab apoſtolicis uſque temporibus ſata, altius jam radices egerant, novaſque inſerere, contrariaſque doctrinas? Vel Hieronymum non ea ſcriptis prodere, quæ habet ad mores informandos accommodatiſſima, niſi quæ in Orientis, & Occidentis, quas diligentiſſime luſtraverat, Eccleſiis, & Romana præſertim, quam, ceu Matrem ſemper coluit, diſſeminata, & religioſe ſervata deprehenderat? Vel demum Chryſoſtomum, Antiochenum civem (ut reliquos prætereamus) non ea nobis retuliſſe, quæ Dominus narravit in Scripturis Populorum, & Principum*, qui fuerunt in ea Civitate; ſcilicet, non ea ſtudioſe quæſiſſe, nobiſque demandaſſe, quæ Petrus, Paullus, aliique Apoſtolicæ dignitatis

* *Lucæ* 11.

* *Pſal.* 86.

tatis Principes Viri, diſcipulis ſuis tradiderunt, & perinde, ac in vivis membranis conſcripſerunt, cum in ea civitate diu verſati ſint, multoſque genuerint filios? Quamquam, ne id quidem perficere potuiſſent, ut novum quid traderent Patres. Nam, ut novum aliquid odorari cœpiſſet Eccleſia, primum novitati ſe ſe objeciſſet, antiquam conſuetudinem oppoſuiſſet, & demum obfirmatiori animo hærentem novitati pœnis coercuiſſet, quod in Rebaptizantes, alioſque hæreticos complures factum videmus. Id autem in doctrinam Auguſtini, Hieronymi, Ambroſii, Chryſoſtomi, & aliorum nequaquam effectum vidimus. Oportet igitur, ut Patres non novas doctrinas excuderint; ſed veteres illuſtrarint, & quæ in aure audierant, ſuper tecta prædicarint, ideſt, quæ privatim acceperant, eloquenti, & ſublimi eloquio protulerint, atque adeo vivum Eccleſiæ ſenſum mortuis etiam litterarum monumentis prodiderint. Et, ne ulla ſubrepat dubitatio, quod generatim diximus, exemplis confirmamus. Tertullianus in egregio libro, quem *de Corona* inſcripſit, ut probet, chriſtiano non licere, coronare ſe coronis, Diis gentium ſacris, ad ſervatam perpetuo traditionem provocat: *Hanc obſervationem*, inquit, * *ſi nulla Scriptura determi-*

* *Cap.* 3.

minavit, certe conſuetudo corroboravit, quæ ſine dubio de traditione manavit. Deinde alia permulta eodem traditionis patrocinio vindicari docet, inquiens: *Ut a Baptiſmate ingrediar, aquam adituri, ibidem, ſed et aliquanto prius in Eccleſia ſub Antiſtitis manu conteſtamur, nos renunciare Diabolo, & Pompæ, & Angelis ejus. Dehinc ter mergitamur, amplius aliquid reſpondentes; quam Dominus in Evangelio determinavit. Inde ſuſcepti lactis, & mellis concordiam prægustamus, exque ea die lavacro quotidiano per totam hebdomadam abſtinemus. Euchariſtiæ Sacramentum, & in tempore victus, & omnibus mandatum a Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quam Præſidentium ſumimus. Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus, die Dominico jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare . . . Harum, & aliarum ejuſmodi diſciplinarum, ſi legem expoſtules Scripturarum, nullam invenies: Traditio tibi prætendetur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſervatrix. Rationem traditioni, & conſuetudini, & fidei patrocinaturam, aut ipſe perſpicies, aut ab aliquo, qui perſpexerit, diſces.* Tertullianus itaque in iis, quæ diſciplinam eccleſiaſticam attingunt, morumque compoſitionem, ad verbum non ſcriptum, ſed traditum perfugium habet. At Cle-

* Lib. 1. Strom.

mens Alexandrinus * multa, etiam ad mores pertinentia, pertractaturus, profitetur, ſe ea expoſiturum, quæ a veteribus in aurem acceperat; quique ab Apoſtolis erant eruditi. Sanctus quoque Hieronymus, cum in libris contra Jovinianum de virginitate multa præclare dixiſſet, accuſatus, quod Manichæos ſequi videretur, conjugio ignominiam inferendo, reſpondit, ſe tantum Matrimonio virginitatem prætuliſſe, non illud improbaſſe, ſeque in hoc, & in reliquis omnibus Majorum ſententiam, & dogmata proſecutum eſſe: *Ex quibus univerſis*, inquit, * *perſpicuum eſt, me nihil novi de Virginibus, Nuptiſque dixiſſe; ſed Majorum in omnibus ſecutum eſſe ſententiam, tam hujus videlicet* (Ambroſii nempe), *quàm reliquorum, qui de Eccleſiaſticis Dogmatis diſputarunt: quorum æmulari exopto negligentiam potius, quam aliorum obſcuram diligentiam*. Vides, Barbeyraci, Patres non de ſuo, ſed de Eccleſiæ penu, quæ afferunt ipſi, depromere? Audis de antiquitate gloriantes, & in domo Dei cum conſenſu ambulantes? * Plus de alienis referendis ſolicitos, quam de propriis obtrudendis? Non cœleſtis philoſophiæ ſemina jacientes; ſed quod in Eccleſiæ Paradiſo Apoſtolorum labore ſatum erat, hoc idem curare, ut floreat, matureſcat, perficia-

* Epiſt. 48. ad Pammachium.

* Pſal. 54.

Digitized by Google

ciatur? Quamobrem ex his omnibus, aliiſque, quæ adduci poſſent, infinitis locis, illud conflatur: cum aliquid docent Patres, quod ad mores dirigendos conducat, non novum aliquod invehere; ſed commune quidpiam, uſuque perpetuo confirmatum, & ab antiquitate commendatum afferre, quod, qui audiebant, declinare, alioque inflectere non poſſent. Atque hæc ratio ad auditores commovendos aptiſſima poterat videri. Si enim, quod cum lacte combiberant, prætermiſſo, quidpiam de Scripturis prompſiſſent, ex quo probabile aliquod eruerent ad id ſuadendum, quod intenderant, aut, ſi ad acuta, ſpinoſaque argumenta rudem plebeculam provocaſſent, ipſos vel indoctum vulgus non intellexiſſet, aut contradicentes invenire facile potuiſſent, qui Scripturam, non bene intellectam, arguerent, & alio torqueri, explicarique debere contenderent. Contra, quod ex veteri eſſet diſciplina, negare poterat nemo, niſi, qui ſe chriſtianum eſſe oblíviſci mallet. Hinc ſæpe Patres ab eo argumentandi genere conſulto abſtinuerunt, quod a Scripturis petitum eſſet, quod etſi firmum; quati tamen hominum malitia, & adulterari poterat: *Jam hinc de eo congrediamur*, inquiebat Tertullianus,* *de quo adverſarii provocant. Scripturas obten-*

* *Lib. de Præſcript. cap.* 15.

tendunt, & hac ſua audacia ſtatim quoſdam movent. In ipſo vero congreſſu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum ſcrupulo dimittunt. Hunc igitur potiſſimum gradum obtinuimus, non admittendos eos ad ullam de Scripturis diſputationem. Et aliquanto poſt: *ergo*, inquit, * *non ad Scripturas provocandum eſt, nec in his conſtituendum certamen, in quibus, aut nulla, aut incerta victoria eſt, aut par incertæ.* Quod autem in fidei dogmatis tuendis Tertullianus effecit, id quoque, cum de moribus eſſet quæſtio, præſtitiſſe reliquos Patres, non eſt dubitandum. At, quod nam hoc tandem eſt, in definiendis morum regulis communem Eccleſiæ ſenſum exſculpere, traditionemque prætendere, niſi ſe ad apoſtolicam doctrinam recipere? Niſi enim ea inſtituta tam excellentem originem habuiſſent, nec tam ſtabilia permanſiſſent, nec fuiſſent diuturnitate temporis confirmata, nec una cum ſæculis, ætatibuſque hominum inveterare potuiſſent. Etenim videmus cæteras opiniones, quæ a privatis hominibus effluxerunt, vel in nonnullis ſolum Eccleſiis invaluerunt, diuturnitate plerumque extabuiſſe. Atque hinc merito dicebat Auguſtinus *: *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur.*

* Cap. 19.

* Lib. 4. contra Donatiſtas c. 24.

ditur. Itaque, quæ de moribus colendis tradidere Patres, ea ſunt quidem intercapedine temporis ab apoſtolica ætate diſtincta; ſed nihilominus arctiſſimo vinculo colligata, imo illa ipſa fere eſſe debent, quæ olim Apoſtoli docuerunt. Nemo autem ex Proteſtantibus tam eſt ſtupidus, aut impudens, qui fidem iis deneget, quæ apoſtolica eſſe conſtet. Nam & Dallæus in libro *de uſu Patrum*, ad avertendam eorum, quæ ſcribunt, veritatem, illud, etſi perperam, intendit maxime oſtendere, ex Patrum ſcriptis elucere non poſſe, quæ nam fuerit apoſtolici temporis doctrina, & quæ beatæ illius ætatis inſtituta. Igitur Patres, cum antiquitatis ſtudioſi fuerint, id docere debuerunt, quod ſumma eſſet cum veritate conjunctum. Sed hanc ſibi laudem ex recentioribus vindicare nemo poteſt, qui, quod afferunt, ſola argumentatione concludunt, & tantum in aſſenſum ducunt, quantum per ingenii vim eliciunt, & quaſi extorquent: præſertim vero, ſi non ſint viri Eccleſiæ, ſed hæretica labe impliciti, *qui non participant ſpiritum veritatis, neque a mammillis Matris nutriuntur in vitam, neque percipiunt de corpore Chriſti procedentem nitidiſſimum fontem; ſed effodiunt ſibi lacus detritos de foſſis ter-*

 renis,

renis, & de cœno putidam bibunt aquam, effugientes fidem Eccleſiæ, ne traducantur; rejicientes vero ſpiritum; ut non erudiantur, ut Beati Irenæi verba uſurpemus *. Itaque, qui nolit, non dicam temeritatis, ſed & inſaniæ notam incurrere, non modo hos non anteferat Eccleſiæ Doctoribus; ſed ne comparet quidem.

* *Lib.* 3. *cap.* 24.

CAPUT XVI.

Id ipſum clarius oſtenditur, quamque incerta ſint recentiorum Juris Naturalis principia, breviter attingitur.

QUamquam in re tam perſpicua, & aperta hærere quid vacat diutius? Illa, illa ipſa doctrina, quæ in utriſque Scriptoribus deprehenditur, ſi ſecum conferatur, quid ſtatuendum ſit, apparebit. Nam in antiquis Patribus concordiſſimam quamdam doctrinæ conſenſionem invenimus, & mirabilem conſpirationem in iis etiam, quæ morum, vivendique rationem reſpiciunt, ut omnes in eadem domo, & familia educati, in eadem Schola inſtituti, ab iiſdem Præceptoribus informati videantur, licet ſæpe nec ætate eſſent, nec regione, nec lingua, nec ſtudiorum exercitationibus ullo modo concordes. Quod manifeſto indicio eſt, eas non ex priva-

privatis, ut etiam antea diximus, affeſtionibus, & ſenſibus; ſed ex communi Eccleſiæ, & Traditionis fonte ſua dogmata, & doctrinas derivaſſe. Sic (ut rem exemplis illuſtremus) virginitatem extollit frequentiſſime Hieronymus, ſummis effert laudibus Athanaſius, Cyprianus diſertiſſimo eloquio prædicat: ad eam hortatur vehementer Chryſoſtomus, cum alibi ſæpe, tum in aureo, quem hac de re edidit, libro: hanc eamdem, ut cœleſtem virtutem, ornat laudibus Ambroſius: reliqui omnes aſſentiuntur, diſſentit nemo: omnium concordiſſima vox eſt: virginitas ſummum quoddam, & cœleſte bonum eſt. Id ipſum in monaſtica vita licet videre: eam celebrat Auguſtinus, Baſilius Magnus, Hieronymus, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Magnus: ejus oppugnatores frangit, & delet tribus eloquentiſſimis libris Chryſoſtomus. Ejuſdem ſatorem, propagatoremque Antonium in libro integro de ejus vita commendat Athanaſius: eidem obtrectat nemo: in eamdem optime animati omnes reliqui fuere. Et niſi brevitatis ſtudioſi eſſemus, in Jejunii quoque quadrageſimalis obſervantia, in cultu Reliquiarum, in Sanctorum veneratione, in Signi Crucis frequentia, & uſu, in Clericorum cœlibatu, & in aliis permultis, omnes, ut

in cy-

in cythara fides ; ſic Patres inter ſe mi-
rifice concordare , oſtendere poſſemus .
Quam ego conſenſionem faciendam plu-
rimi exiſtimo, in eaque vim maximam
veritatis inſidere , & quidquam ab ipſo
Deo ſatum , *qui habitare facit unius moris*
* *Pſal. 67.* *in domo* *. Nam in hac ipſa conſenſione
præcipue explenduit doctrina apoſtolica,
quæ , licet a pluribus diſſeminata eſſet ;
ubique tamen terrarum eadem fuit , per-
inde , ac ab uno tantum enunciata fuiſſet .
* *Hom. in S. Ignat. Mart.* Id obſervavit Chryſoſtomus *, qui ait :
Cum Paullum dico , non hunc ſolum intelli-
go , ſed & Petrum , & Jacobum , & Joan-
nem , atque omnem ipſorum Chorum . Quem-
admodum enim in lyra , cum diverſæ ſint
chordæ ; unus tamen concentus eſt ; ſic etiam
in Apoſtolorum Choro , quamvis ſint diverſæ
Perſonæ ; una tamen doctrina eſt , quia &
unus artifex erat Spiritus Sanctus , qui ipſo-
rum animos movebat , idque Paullus oſten-
* *I. Cor. 15.* *dens , ſive igitur* , inquit , * *illi , ſive ego , ſic*
prædicamus . Ut ergo apoſtolica doctrina,
quod ab uno ſpiritu Dei inſtillata eſſet ,
una fuit , & ſibi ubique ſimilis ; ita quod
hanc eamdem ubique unam adhuc flore-
ſcentem invenerint Patres , ſibi omnino
conſtiterunt . At vero concordiam hanc
non ita quidem multam invenimus in re-
centibus Juris naturalis tractatoribus , de
quibus Barbeyracius agit , aliiſque ſimi-
libus :

Digitized by Google

libus: digladiantur ſæpe inter ſe: talia afferunt, quæ ab eruditis viris facile oppugnantur; vel ipſa principia, & fundamenta, ſuper quæ ædificant ipſi, ea eſſe demonſtrantur, quæ dirui, proſternique facile queant, ut concluſiones omittam, quæ per tortuoſas flexiones, & quaſi mæandros deducuntur. Neque ego hic ea, data opera, commemorabo, quæ vel hi peccaverint, vel a quibuſdam peccaſſe dicantur: noſtri conſilii non eſt hic, quemquam accuſare, nec opinionibus eorum inſultare decrevimus, quorum miramur ingenia. Illud igitur ſolummodo dicam, Hugonem Grotium, virum equidem magnum, eruditum, & laborioſum, hoc velle *, ut *ſocietatis cuſtodia, humano intellectui conveniens, fons ſit ejus juris, quod proprie tali nomine appellatur*. Reclamitat tamen Samuel Coccejus cum pluribus aliis, probans *, *non dari ſocietatem communem hominum, ne dum ejus cuſtodiam eſſe verum, unicum, & adæquatum juris naturalis principium*. Pufendorfius vero, quem impenſe colit, & admiratur Barbeyracius, Grotium imitatus, ſic definit: * *cuilibet homini, quantum in ſe eſt, colenda eſt, & ſervanda ſocietas. Omnia, quæ ad iſtam ſocialitatem neceſſario, & univerſim faciunt, jure naturali præcepta: quæ eamdem turbant, aut abrumpunt, vetita intelligun-*

* *Prolog. ad lib. de Iure Bel. & Pacis §. 8.*

* *Diſſert. I.*

* *Lib. 2. cap. 3.*

gun-

guntur. Sed, quod majus eſt, hoc etiam docet: * *jus naturæ, quod hoc libro traditur, ex lumine rationis cognoſcitur, & tranquillitatem hujus vitæ pro fine ultimato habet*. Et alibi *: *illud porro diſcrimen longe maximum, quod finis hujus diſciplinæ tantum ambitu hujus vitæ includatur*. Sed doctrinam hanc multis nominibus plures viri docti redarguunt, & hoc præcipue ſuſpicioſam habet, præſtantiſſimo vir ingenio, Godofredus Leibnitius *, quod, cum jus naturæ ad vitæ hujus conſtitutionem coerceat Pufendorfius, nullamque certam connexionem cum futura ponat, ſpem præmiorum, metumque pœnarum alterius vitæ adimere videatur, & reſecare, quibus ſublatis, omnem genuinæ virtutis ſenſum extingui neceſſe eſt, viamque ampliſſimam ſterni ad epicureiſmum, & omnem impietatem firmari. Quid diverſa memorem Hemmingii, Winkleri, Seldeni, Yvonis, Bodini, Wachterii, Thomaſii, aliorumque plurimorum juris naturalis principia, quæ tanta ſunt in varietate, ac diſſenſione, ut eorum moleſtum ſit dinumerare ſententias? Contra quas vel idem Coccejus *, vel Pufendorfius *, vel alii ita multa diſſeruerunt, ut palam faciant, quantæ difficultatis ſit, certum aliquod, & ſtabile juris naturalis conſtruere fundamentum. *Quorum opinio-*

nes,

* *In Apol.*
* *De Off Hom., & Civ.*
* *Epiſt. de princ. Puf.*
* *Differt. 11.*
* *Lib. 2. cap. 3.*

nes, cum tam variæ ſint, tamque inter ſe diſſidentes, alterum fieri profecto poteſt, ut earum nulla; alterum certe non poteſt, ut plus una vera ſit, ut cum Tullio * in non valde diſſimili argumento loquar. Nam Hobbeſii principia, & ſyſtema, cum omne nefarium ſcelus inducant, Religionemque ipſam funditus evertant, eodem Coccejo docente, * non eſt, cur memorentur, neque cum iis prædictorum auctorum conferantur. Denique (ut breviter faciam, ne alienis contumeliis delectari videar) ingenioſiſſimus Auctor, qui nuper commentarios edidit, *de Spiritu legum* * vulgariter inſcriptos, ſic ſtatuit *: ut Reſpublicæ ſummarum virtutum præſidio adminiſtrantur, & Imperium Deſpoticum timoris fræno regitur; ita regnum nullo virtutis firmamento indigere: abſque amore patriæ, abſque veræ gloriæ cupiditate, abſque privatæ utilitatis deſpicientia, uno verbo, abſque ornatiſſimo illo virtutum heroicarum choro, quæ vetuſtate obſoleverunt, poſſe conſiſtere; cæterum ſi regno virtus deſit, non omni deſtitutum eſſe præſidio; honoris ſpem præſto eſſe, quæ, detractis etiam veris virtutibus, ad ſplendidiſſimum quodque opus inflammet, & ſtimulet. Porro regnum ſola honoris vi in primis poſſe vigere, nec opus eſſe, ut virtute alatur, & nutriatur, ita mul-

* *Lib. 1. de Natur. Deor. cap. 2.*

* *Diſſert. 11. cap. 1.*

* *Eſprit. des Loix.*

* *Lib. 3. cap. 5., & 6.*

multis alienum videtur a veritate, ut imo putent, omnem everti regni felicitatem, & tranquillitatem, ablatoque virtutis ſplendore, perniciem maximam, & labem eidem inferri. P. Gerdillus ex noſtris hominibus, Philoſophus longe præſtantiſſimus, id elegantiſſima oratione demonſtrat, quam notis appoſitis locupletavit; fuſiuſque etiam auctor alter Anonymus tale principium exagitavit *. Jam autem, ſi vel ipſa principia, & fundamenta, quibus confidunt hi recentes auctores, falſa, vel ſuſpicioſa videntur, nec inter ſe plane ſcribendo conſentiunt, alii alia ponentes principia, quid erit dicendum de iis conſecutionibus, quæ per contortos ſyllogiſmos debilitatæ, & quaſi illiſæ, per devios anfractus, longiſſime a principiis ipſis permanant? Equidem, collabefactis principiis, multas etiam ruere concluſiones neceſſe eſt, & capite obtruncato, nullam in membris vitam, & auram veritatis inveniri, quæ ſaltem de capite ipſo participet. Quare illa mihi verba merito uſurpare videor, quæ ad Philoſophos veteres quondam Lactantius dirigebat, inquiens: * *quos equidem, ſi putarem ſatis idoneos ad bene vivendum duces eſſe, & ipſe ſequerer, & alios, ut ſequerentur, hortarer. Sed, cum inter ſe magna concertatione diſſideant, ſecumque ipſi ple-*

* *Obſervations ſur l'Eſprit des Loix art. 2.*

* Lib. 1. Divin. Inſtit. cap. 1.

plerumque diſcordent, *apparet eorum iter nequaquam eſſè directum*: *ſiquidem ſibi quiſque*, *ut eſt libitum*, *proprias vias impreſſerunt*, *confuſionemque magnam inquirentibus veritatem reliquerunt*. Quæ eſt igitur tua, tam impudens, & inſolens jactatio, Barbeyraci, ut Patribus Eccleſiæ illos anteponas, quos falſitatis coarguunt, ne dum alii; ſed vel ii ipſi, qui eoſdem admirantur, & maxime diligunt? Hoc cum dico, nolim ipſorum laudes tenuari: laudentur, quod multa docuerint, & ſubtiliter, & ingenioſe, quæ vitam civilem informent, & inſtituant; ſed reverentia illis præſtetur maxima, qui chriſtianos mores, apoſtolicam doctrinam, antiquum Eccleſiæ ſenſum litteris prodiderunt: *Quidquid*, bene inquit Baſilius Magnus* *vetuſtate præcellit*, *idem venerabile eſt*. *Veterrimi quique*, inquit aureus ille Scriptor, Melchior Canus,* ut, quæ in ſimili pene argumento habet, in rem noſtram transferamus, *ſolent eſſe graviſſimi*. *Juniores autem*, *quaſi pueri*, *ſi ſpeciem afferant veritatis*, *non eſt illa quidem protinus repudianda*: *Vetuſtas tamen ſuo loco conſervanda eſt*. *Maxima enim eſt vis*, *&* *auctoritas vetuſtatis*, *&*, *ubi cum novitate certet*, *eſt illa ſine dubio præferenda*. Roboam quod ſeniorum conſilia deſpexerit,* juvenum ſecutus auctoritatem, magnam amiſit re-

* *Hom.* 1. *de Jejun.* n. 3.

* *Lib.* 7. *cap.* 3.

* *Reg.* 3. *cap.* 12.

gni

gni partem. Hinc & Job inquit *: *in antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia*. Quamobrem, ne ſimus, tamquam parvuli fluctuantes, nec circumferamur omni vento doctrinæ: pueris enim in more eſt, rerum novarum ſplendore percelli. Utinam vero tam præclara ingenia, quæ tam ſubtiliter, & erudite ſcripſerunt, inito pacis fœdere, nobiſcum ſentirent, ut ſimul reliquos fidei hoſtes adoriremur: nomen pacis dulce eſt, & ipſa res ſalutaris. Sed hæc de impatientia magis, ad convicium illud teterrimum Barbeyracii depellendum, quam certo diſputationis ordine dixerim. Nam hoc ipſum argumentum, graviſſimum ſane, & diligenti tractatione digniſſimum, nunc verius adumbratum, quam expreſſum, alias uberius tractandum, ut ab initio diximus, reſervamus. Interim bene habeant egregia illa Eccleſiæ propugnacula: ſecum ſibi plaudant illi fortes Iſrael, qui de ſemine ſunt illorum virorum, per quos in Iſrael ſalus facta eſt: quod eloquentiæ paruerint, ne eos pœniteat: de oppugnatis inimicis triumphum agant: *ſic pereant * omnes inimici tui, Domine; qui autem diligunt te, ſicut ſol in ortu ſuo ſplendet; ita rutilent.*

* *Cap.* 12.

* *Judic.* 5.

IN-

INDEX.

PRoœmium, in quo totum Barbeyracii Inſtitutum exponitur. pag. 1

Cap. I. Patrum eloquentiam vituperat Barbeyracius, iiſdemque impudenter maledicit. 16

Cap. II. Quid in eloquentia Patrum intendamus defendere. 20

Cap. III. Eloquentia apta eſt ſuavitate ſua ad mores formandos. 21

Cap. IV. Patres, neceſſitate compulſi, eloquentiam uſurparunt. 26

Cap. V. Per eloquentiæ vim commiſſi ſibi Populi calamitates emollire, & mitigare contendebant. 29

Cap. VI. Eloquentia Patrum ad expoliendos mores adhibita, Sacris Scripturis conſentanea eſt, & quaſi ab iis ſata, & educata. 37

Cap. VII. Hæc eloquentia non offundit tenebras veritati. 51

Cap. VIII. Id confirmatur exemplo eloquentiæ Chryſoſtomi. 54

Cap. IX. Si quid eloquendo interdum peccant, nihil inde Patribus detrahitur. Vitio in ſcribendo nec ii carere oſtenduntur, qui laudantur a Barbeyracio. 65

Cap. X. Si quid exaggeratius aliquando dicunt Patres, non inde quid peccare in docendo credendi ſunt. 69

Digitized by Google

Cap. XI. *Quam eſſent cauti Patres exaggerando, ne quid eriperent veritati, pluribus oſtenditur exemplis: idque præſtitere, quod Joannes Clericus requirit.* 72
Cap. XII. *Eloquentia a Patribus non eſt ſemper adhibita, vel certe non ejus generis fuit, ſicut dictitat Barbeyracius.* 80
Cap. XIII. *Patres ineptam eloquentiam a ſe deprecantur, non gravem, & robuſtam, quæ mirifice excolendis moribus profuit.* 87
Cap. XIV. *Eloquentiæ cauſa perorata, non finis imponitur diſputationi, idque ad avertendam graviſſimam contumeliam, Patribus illatam a Barbeyracio.* 94
Cap. XV. *Patres egregii ſunt Chriſtianorum morum Magiſtri, & præponuntur recentibus Juris Naturalis Tractatoribus.* 97
Cap. XVI *Id ipſum clarius oſtenditur, quamque incerta ſint recentiorum Juris Naturalis principia, breviter attingitur.* 106

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA

Digitized by Google

Digitized by Google